





O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS

QUAESTIONES CRITICAE

DE LOCIS QUIBUSDAM

SOPHOCLIS.

SCRIPSIT

CAR. FRANC. GODOFR. ARNDT.



BRANDENBURGI NOVI
IN LIBRARIA CAROLI BRUENSLOW
MDCCCXLIV.

Trachin. v. 141 — 147.

Πεπυσμένη μέν, ὡς σάφ᾽ εἰκάσαι, πάρει
πάθημα τοὐμόν· ὡς δ᾽ ἐγὼ θυμοφθορῶ,
μήτ᾽ ἐκμάθοις παθοῦσα, νῦν δ᾽ ἄπειρος εἶ.
τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖςδε βόσκεται
χώροισιν αὑτοῦ, καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ,
οὐδ᾽ ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ,
ἀλλ᾽ ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον.

Sententia plana per se ac perspicua mirum in modum impeditur verbis v. 145. *χώροισιν αὑτοῦ καί νιν.* Nam si dubitari nequit, quin hoc loco aetas puerilis laborum sollicitudinumque adhuc expers comparetur cum seminario pomario, ubi novellae arbores ab aestuum imbrium et ventorum vi defendantur, hoc primum apertum est, necessario requiri particulam eiusmodi, qua *τοιοῖςδε* pronomen ad sequentia referatur. Ad praecedentia enim si retuleris, ita ut *ἀπειρίας* intelligantur *χῶροι*, neque illa ipsa bene dicta sunt — quae enim sint loca imperitiae, nemo facile dixerit — et ea, quae sequuntur, a verbis *τοιοῖςδε χώροις* avulsa non poterunt non proprio sensu accipi, ita ut a sole imbre ventis defendi dicatur tenerior aetas, id quod a mente poetae alienissimum esse apparet. Atque huiuscemodi quidem particulam in terminatione vocis *χώροισιν* latentem — *ἵνα* — sagaciter investigavit Musgravius receperuntque Hermannus et Wunderus, quo facto iam optime procedit oratio: *τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖςδε βόσκεται χώροις, ἵν᾽ — οὐ θάλπος θεοῦ, οὐδ᾽ ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.*

Deinde quae his interiecta leguntur verba *αὑτοῦ καί νιν* non posse sic, ut scripta sunt, a poetae manu profecta esse quum alii multi intellexerunt, tum Wunderus idoneis argumentis in Emendatt. in Trach. p. 18. demonstravit. Nam qua una ratione haec quodammodo intelligi posse Hermannus in editione sua docuit, ut iuvenilis aetas dicatur in huius-

modi locis pasci, ubi sui iuris sit, neque aut aestu aut imbre aut ventis vexetur, sed iucundam agat et laboris expertem vitam, ea tribus laborat incommodis: uno, quod durior est in hac constructione verbi *ἐστὶν* omissio; altero, quod pueritia sub parentum tutela vivens vix recte dicitur sui iuris esse; tertio atque maximo, quod exili ista ac ieiuna sententia invenustissime interrumpitur suavissima, quae hoc loco fit, comparatio.

His rationibus ductus Wunderus ad emendandum locum aggressus, quum verba *θάλπος θεοῦ* intelligeret non sufficere ad significandos torrentes solis radios, vix dubitari posse indicavit, quin adiectum a poeta eiusmodi nomen fuerit, quo non solum, qui deus intelligendus esset, clarius pateret, sed etiam nimia eius dei ac perniciosa plantis vis significaretur. Hinc ita poetam scripsisse suspicatur:

χώροις, ἵν' ἀναίνοντος οὐ θάλπος θεοῦ,
οὐδ' ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.

Librorum autem scripturam e glossa *ἀναντικοῦ* ortam esse existimat.

Displicet in ista emendatione audacia; neque enim credibile est verbo satis frequentato neque ulla interpretatione indigenti rariorem vocem a glossatore adscriptam fuisse, aut, si fuit, ex ea vulgatam scripturam oriri potuisse. Praeterea etiam articulum ante participium in hac constructione requiri recte monuit Schneidewinus in Notitiis litt. Gotting. a. 1842. p. 254. Sententia autem ipsa perplacet. Neque ego dubito, si eorum, quae sapienter Hermannus in adnotatione ad hunc locum monuit, ne in loco, in quo iam veteres critici haesissent, ulla mutatio fieret, quae non tam lenis esset, ut pro nulla haberi posset, bene memor Wunderus ea, qua inceperat, via longius progressus esset, quin ipsam illam, quam desiderabat, sententiam in codicum scriptura latere eamque unius literae mutatione restitui posse animadversurus fuerit.

Mutato enim in voce *νιν* priore *ν* et ceteris literis apte per voces dispositis haec prodit verborum complexio:

τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται
χώροις, ἵν' αὔτ' οὐκ αἰθίνου θάλπος θεοῦ,
οὐδ' ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ.

Iam recte abest ante adiectivum, qui ante participium male aberat, articulus; cf. Oed. R. v. 178. *ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ*, et quae Ellendt. in Lex. Soph. T. II. p. 239. similia congessit quam plurima. — Vo-

cabulum αἴϑινος fumo et lignis epitheton dat Hesychius: αἴϑινος καπνος· ὁ δριμύς. αἰϑίνην· καυσίμην. ἄϑινα (lege αἴϑινα) ξύλα· κατακαύσιμα. Et Etym. Magn. αἴϑινα ξύλα· εὔκαυστα, καὶ καπνὸς αἴϑινος· ὁ δριμύς. Eandem vocem etiam ad solis ardorem significandum aptam esse quum ex ipsa verbi αἴϑειν vi intelligimus, tum nominum αἶϑος et αἴϑων apud Euripidem et Pindarum usus confirmat. Eurip. Suppl. v. 208. αἶϑόν τ' ἐξαμύνασϑαι ϑεοῦ. Pind. Nem. 7, 108. αἴϑωνι ἁλίῳ, quo eodem epitheto etiam fumum ornat Pyth. 1, 44. ῥόον καπνοῦ αἴϑωνα. — Patet autem fons erroris. Nempe semel perperam dispositis ceteris vocibus, ex eo, quod supererat literarum, ϑιν, veteres sive librarii sive critici νιν fecerunt.

Trachin. v. 844 — 848.

Τὰ μὲν οὔτι προςέβαλε, τὰ δ' ἀπ' ἀλλόϑρου
γνώμας μολόντ' ὀλεϑρίαισι συναλλαγαῖς,
ἦ που ὀλοὰ στένει,
ἦ που ἀδινῶν χλωρὰν
τέγγει δακρύων ἄχναν.

Versui 846. qui respondet antistrophicus ἃ τότε ϑοὰν νύμφαν, ex eo numerorum genere est, quod ex iambo et antispasto constare Wunderus statuit, Hermannus iambis ischiorrhogicis adnumerat, in quibus versibus syllabam penultimam brevem longae respondere posse arbitratur. At quae eius responsionis exempla in Elementt. doctr. metr. p. 235. affert duo — quum pene innumerabilia sint legitimae responsionis — eorum unum hic ipse locus est, alterum ex Electra Sophoclis petitum facili probabilique emendatione in iustam numerorum aequabilitatem restitui potest. Sunt versus 1239. et 1260.

strophh. ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν.
antistr. τίς οὖν ἂν ἀξίαν γε σοῦ πεφηνότος.

Seidlerus de Verss. dochm. p. 100. scribi iubet

in strophа οὐ τὰν Ἄρτεμιν τὰν αἰὲν ἀδμήταν,
in antistr. τίς οὖν ἀξίαν, σοῦ γε πεφηνότος,

ut sint dimetri dochmiaci. Improbat Hermannus l. c., credo, ob corre-

ptam syllabam priorem in vocabulo *αἰέν*. Pro quo si *ἀεὶ* reposueris, non video, quid reprehendi in illa emendatione possit, nisi forte, quod audacius omisit duo vocabula *ἀλλὰ* et *ἄν*, quum idem lenius consequi posset una addita litera hoc modo:

stroph. *ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν*
τὰν ἀεὶ ἀδμήταν.
antistr. *τίς οὖν ἀνταξίαν*
σοῦ γε πεφηνότος
μεταβάλοιτ' ἂν ὧδε σιγὰν λόγων;

Vides dochmiis antecedere antispastum et iambum, quod versuum genus etiam in Oed. R. v. 660. Oed. Col. v. 121. seq. Ai. v. 890. cum dochmiis consociatum invenitur. Antistrophae locum sic interpretor: quis enim, quum tu apparueris, sic commutaverit tuis sermonibus aequiparatum silentium? id est, quis cum sermonibus tuis, tanquam aeque gratum sit, silentium commutaverit?

Itaque hoc fulcro destituta stare non poterit in nostro Trachiniarum loco librorum scriptura. De eaque re quum ceteri critici inter se consentire videantur, tum ne ipsum quidem Hermannum nunc dissentire existimo. Certe in Oed. Col. versus manifesto corruptos 1074. 1085. 1559. 1571., quum in editione I. iambicos ischiorrhogicos penultima ancipite fecisset, nuper in ed. II. ad alios numeros ita refinxit, ut exaequaret syllabas.

Iam quum ambigi possit, utrum in stropha an in antistropha quaerendum sit vitium, in stropha quaerendum esse ex eo intelligimus, quod versus antistrophicus iisdem prorsus numeris cum eo, qui proxime sequitur, decurrit. Requiritur igitur verbum, quod spondeum efficiat, pro iambo *στένει*. Wunderus in Emendd. in Trach. p. 90. *στένει* glossam esse rarioris vocabuli contendit. Hunc secutus G. Wolffius (de Sophoclis scholiorum Laurentianorum variis lectionibus p. 58.) scholiastam adnotantem *ὀδύρεται καὶ στένει* fortasse *θρηνεῖ* legisse suspicatur, quod idem etiam Schneidewino in mentem venisse memorat. At non est verisimile aut interpretandam sibi quenquam putasse vocem prosa quoque oratione frequentatam, aut si quis putavit, eum adscripturum fuisse verbum et poetarum proprium et quod ipsum quoque interpretatione egere glossatores existimarint, ut Hesych. *στένει· δυςπαθεῖ, στενοχωρεῖται, στενάζει*, et Schol. min. ad Electr. v. 1177. ed. Erfurdt. *στένω τάδε· στενάζω τούτους τοὺς στεναγμούς*. Ego si glossam esse *στένει* putarem, coniicerem antiquum esse *ὀλό' αἰάζει*, coll. Hesych. *αἰάζω· ἀναβοῶ, στενάζω. αἰάζει· θρη-*

νεῖ. Schol. min. ad Ai. v. 425. ed. Erfurdt. *αἰάζω τὸ θρηνῶ.* At longe verisimilius duco vulgatam solemni literarum *αι* et *ε* confusione ex hac scriptura ortam esse:

ἦ που ὀλό' ἀσταίνει,

i. e. misere cruciatur. Hesych. *ἀσταινεῖ· δυςπαθεῖ, ἁμαρτάνει, μοχθεῖ.* Etym. M. *ἀσθαίνω* (legendum *ἀσταίνω*, monstrante ordine literarum)· *δυςπαθῶ, κακοπαθῶ, μοχθῶ, ταλαιπωρῶ.* — De accusativo *τὰ μολόντα* ex verbo *ἀσταίνει* pendente vid. Matth. Gr. gr. §. 414.

Electr. v. 1422. seq.

Καὶ μὴν πάρεισιν οἵδε· φοινία δὲ χεὶρ
στάζει θυηλῆς Ἄρεος, οὐδ' ἔχω λέγειν.

Haec a choro dicuntur, ubi Orestes et Pylades perpetrata caede Clytaemnestrae foras prodeunt. In libris hi versus et quae continuo sequuntur verba *Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ,* Electrae tribuuntur, ita ut haec *οὐδ' ἔχω λέγειν, Ὀρέστα, πῶς κυρεῖ,* in unam sententiam coniungantur. Erfurdtius strophicorum versuum indicio primos duos versus Electrae, reliqua choro tribuit. Hermannus contra choro illos, haec Electrae assignavit. Rectissime vero. Chori est enim prodeuntes in scenam nunciare, non scenicorum, ut qui aversi stent a postsceniis. Virgines porro teneras, ex quibus chorus Electrae compositus est, decet exhorrescere manus sanguine stillantes, dedecet virilem Electrae animum, dedecet ferociam illam, qua modo inter ipsam matris caedem atrociter acclamaverat fratri: *παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν* (v. 1415.).

Distributis igitur in duas personas versibus, quos vulgo soli Electrae assignabant, verbum *λέγειν,* quo vel coniuncto cum iis, quae sequuntur, nihil excogitari potest frigidius, disiunctum ab his multo etiam minus ferri potest. Nam quo sensu Wunderus illud accipi vult, ut hoc dicat chorus: »neque habeo, quid dicam, i. e. tantopere horret animus, ut quid dicam nesciam,« eo vereor ut Graece dictum sit, Graece enim id diceretur *οὐδ' ἔχω, τί φῶ*; (Oed. Col. v. 318. Aesch. Choeph. v. 89.). Qua autem sola ratione vulgata scriptura defendi possit, ut scribatur *οὔ δ' ἔχω λέγειν* — cum aposiopesi, i. e. »non autem habeo dicere, interfecerintne Clytae-

mnestram, an vulneraverint tantum, an ipsi sauciati sint«, eam recte indicat Hermannus satis frigidam fore, quia non dubium fuerit, quin statim rem cogniturae essent.

Emendatione igitur opus est. Quae adhuc a viris doctis prolatae sunt coniecturae, non satisfaciunt. Reisigius in Coniectt. p. 15. *στέγειν* legendum coniecit, quod probavit nemini. Erfurdtius, quod reposuerat *οὐδ' ἔχω τί φῶ*, ipse in adnotationibus reiecit, alia proposita coniectura *ψέγειν*. Hanc recepit Hermannus, licet aliter, quam ab inventore factum erat, interpretans. Sed audiamus ipsum, statim post illa, quae supra apposui, his verbis pergentem: »Sed non minus alienum est, si id, quod cum Erfurdtio reposui, ut ille fecit, de caede matris, quam probet chorus, intelligitur. Id enim ne personae chori parum conveniat, certe non convenit tempori, quippe re nondum comperta. Itaque commate distinxi post *Ἄρεος*, ut verba illa ad cruorem, quo isti sunt affatim conspersi, referantur. Quod est Homeri imitatione dictum Iliad. δ, 539. *ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών.*« Recte Homerus quidem. Nam fortiter proeliantes viros laudare virorum est. At fortitudinem admirari eius, qui caede mulieris inermis, quid dico? qui matricidio commisso cruenta manu incedit, id vero inauditae est immanitatis, quae ne ferocissimis quidem barbaris conveniat, nedum virginibus liberaliter educatis.

Quod si consideraveris, quid potissimum deceat chorum in hoc rerum statu dicere, vix dubitandum videbitur, quin a poeta eiusmodi quid scriptum fuerit, cuius haec esset sententia: cruenta autem stillat manus mactata Marti victima, neque ego adspectum eius sustineo. Atque ad hanc efficiendam sententiam haud violenta opus est mutatione. Scribe:

οὐδ' ἔχω βλέπειν.

Proprium enim *βλέπειν* in tali re. Cf. Oed. Col. v. 1650. seqq. *ὀμμάτων ἐπίσκιον χεῖρ' ἀντέχοντα κρατός, ὡς δεινοῦ τινος φόβου φανέντος, οὐδ' ἀνασχετοῦ βλέπειν.* Aiac. v. 917. seqq. *οὐδεὶς ἄν, ὅςτις καὶ φίλος, τλαίη βλέπειν φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας ἔκ τε φοινίας πληγῆς μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς.* Fons corruptelae non difficilis est ad perspiciendum. Videlicet pro litera *Π*, ut saepe accidit, *Γ* legentes librarii, quum haec verba cum sequentibus coniungerent, vix poterant antiquam agnoscere scripturam *βλέπειν*, quippe ab hac verborum complexione alienam, ideoque, quod aptius videri poterat, *λέγειν* pro vero habentes, literam *β*, ea fortasse forma

exaratam, qua praecedenti literae ω similis evaderet (vid. Bast. Comm. Palaeogr. p. 708.), scribentis socordia iteratam putantes, omiserunt.

Antig. v. 349 — 353.

Κρατεῖ δὲ μηχαναῖς ἀγραύλου
θηρὸς ὀρεσσιβάτα, λασιαύχενά θ᾽
ἵππον ἄξεται ἀμφίλοφον ζυγὸν
οὔρειόν τ᾽ ἀκμῆτα ταῦρον.

Ad versum 351. manifesto corruptum haec adnotat scholiastes: *Ἀμφίλοφον ζυγόν* (scribendum *ἀμφὶ λόφον ζυγόν*, ut ex eo, quod paullo post sequitur, lemmate *ἢ ἀμφίλοφον* apparet. Monuit Hermannus.): *ἀντὶ τοῦ, περιβαλὼν αὐτῷ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον, ὑπάγει. Ἢ ἀμφίλοφον, τὸν ἀμφιτράχηλον, τὸν ἀμφοτέρωθεν συνέχοντα τοὺς λόφους τῶν ὑποζυγίων. Καὶ λείπει ἡ ὑπό· ὑπὸ ζυγὸν ἄγει.* Hinc Wexius in Sylloge adnotationum scholiastam coniiciebat legisse

ἵππον ἄγει λόφον ἀμφιβαλὼν ζυγόν,

voluisse autem supplere *ὑπό*, quia non cogitaret *ἀμφιβάλλειν*, uti *ἐνδύειν* et similes voces, cum duplici accusativo construi posse (de qua constructione vid. Matth. Gr. gr. §. 426.). Huius coniecturae, ab ipso auctore, credo, quia longius recederet a librorum scriptura, reiectae, nuper patrocinium suscepit G. Wolffius (de scholl. Laur. varr. lect. p. 198. seqq.), corruptionis originem repetens ex verbo *ἐπάξεται*, quod v. 362. legitur. unde in hunc versum illatum putat *ἄξεται*. Id quidem longius petitum est, quam ut cuiquam sperem persuaderi posse. Accedit, quod ne ipsa quidem verba ista *ἵππον ἄγει λόφον ἀμφιβαλὼν ζυγὸν* ea sunt, quae quis possit a poeta profecta credere. Neque enim credibile est, postquam v. 342. de avibus capiendis dictum est *ἀμφιβαλὼν ἄγει*, eandem dictionem in eodem carmine poetam paullo post diverso sensu de equis domandis adhibiturum fuisse. Facilius crederem scriptum fuisse

ἵππον ἐλᾷ λόφον ἀμφιβαλὼν ζυγόν.

Verbum *ἐλᾷ*, de praesenti tempore poetis non inusitatum, quum interpres vetus male de futuro intelligeret, putari potest *ἄξεται* glossema adscripsisse, a librariis postea in textum illatum. Atque sic ego mutatam

Wexii emendationem, si non veram, at veritati tamen proximam atque omnibus, quae hucusque de hoc loco tentata sunt, longe praeferendam ducerem, si firmiori illa niteretur fundamento, quam incerto isto obscuri scholii testimonio. Cuius e verbis ne hoc quidem satis certo cognosci potest, aliane fuerit in scholiastae libris an eadem, quae in nostris, scriptura. Primum enim, quod praesentis temporis verbum posuit ὑπάγει, ex eo non sequitur, ut eiusdem temporis verbum in suis libris invenerit, permutare enim tempora scholiastas solere quum ab aliis tum a G. Wolffio observatum est l. c. p. 30, ubi plurima eius permutationis exempla congesta reperies. Nihilo certius est verbum ἀμφιβαλὼν scholiastae ante oculos fuisse. Quod enim pro interpretamento posuit περιβαλὼν αὐτῷ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον, ὑπάγει, id sic quidem scriptum absonum est. Non enim postquam circumdedit, sed ut circumdet collo iugum, auriga sub iugum ducit equum. Sin autem id, quod temporum ratio suadere videretur, scripsit περιβαλῶν, quid impedit, quominus eum existimemus ipsam nostrorum librorum scripturam interpretatum ivisse verbis quidem sic distinctis: ἀμφὶ λόφον ζυγόν? Nam quum coniungeret verba ἵππον ἄξεται ζυγόν, eaque interpretaretur ἵππον ὑπάγει ὑπὸ λόφον, non potuit ista ἀμφὶ λόφον aliter explicare, quam illi, ut fecit, περιβαλῶν αὐτῷ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον. Quid est enim aliud equum ducere sub iugum circa collum, atque equum ducere sub iugum collo circumdandum?

Quae quum ita sint, scholiorum adminiculo destituti in sola nitimur librorum scriptura. Ac mihi, qui admirabilem illam, quam hoc carmine chorus celebrat, ingenii humani vim non tam in iugo equis iam mansuefactis imponendo, quam in domitis primitus coactisque sub iugum etiamtum feris bestiis cerni intelligam, non dubium videtur, quin futurum ἄξεται vel, quod La. et Par. F. habent, ἕξεται ex aoristo verbi eiusmodi, cui cogendi vis subiecta esset, et praepositione ὑπαὶ corruptum sit. Cuiusmodi verbum nemo, credo, aptius reperiet, quam ἐέργειν cohibere. Itaque suspicor a Sophocle scriptum fuisse

ἵππον ἕερξ᾽ ὑπαὶ ἀμφίλοφον ζυγόν.

Verbum ἐέργειν de re vinculis constringenda usurpavit Parmenides ap. Simpl. Comm. in Aristot. Physic. fol. 7. a. οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει (sc. τὸ ὄν)· κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει, τό μιν ἀμφὶς ἐέργει, metaphora aperte desumta ab equis sub iugum cogendis. Cum praepositione ὑπὸ idem verbum constructum est a Soph. in Aiac. v. 753. εἶρξαι Αἴανθ᾽ ὑπὸ στέγαισι. Atque simili dictione etiam Virgilius de

equis utitur Aen. VII, 639.: ad iuga cogit equos. Forma aoristi ἔερξα, quamquam apud Homerum non invenitur, tamen non vereor, ne cui dubitationem afferat. Neque enim ratione Homerum, sed casu ea abstinuisse ex eo colligi potest, quod ne alteram quidem formam ἔρξα plus semel habet (Od. ξ, 411.), neque Sophocles credi debet tam putide Homeri vestigia secutus esse, ut forma grammaticae legibus convenienti propterea, quod casu ille abstinuisset, sibi quoque abstinendum putaret. Certe eiusdem illius verbi futurum ἔρξεται Homero inusitatum ipse non dubitavit usurpare Oed. R. v. 890.

Antig. v. 904.

Καίτοι σ᾽ ἐγὼ ᾽τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ.

Haec Antigonae verba, si suo quodque significatu accipiuntur, nihil significare possunt nisi hoc: quamquam ego te honoravi iudicio eorum, qui recte sapiunt. Ineptum vero ad sapientium iudicium provocare in re non controversa. Honoratum enim esse ab Antigona Polynicen, quis erat, qui negaret? Erant autem, qui iniuria id factum contenderent. Ab his igitur Antigona ad sapientiores provocare debebat, dicens: tamen ego te iure honoravi sapientium iudicio. Id quum recte intellexissent interpretes, alia alii conati sunt, ut ex librorum scriptura illam extorquerent sententiam. Et scholiastes quidem, postquam quae in codicibus leguntur verba sic circumscripsit: *παρὰ τοῖς καλῶς φρονοῦσι δοκῶ σε τετιμηκέναι*, extrinsecus infert id, in quo cardo rei versatur, ita pergens: *ὥστε τοὺς συνετοὺς ἀποδέξασθαι τὰ ὑπ᾽ ἐμοῦ εἰς σὲ γενόμενα.* Hanc explicationem Hermannus firmaturus dativo *τοῖς φρονοῦσιν* istam probandi significationem tribuit, haec adnotans: »Quum dicere velit *ὀρθῶς σε ἐτίμησα*, ita hoc exprimit, ut dicat: et tamen te ego, ut sapientibus probarer, honoravi. Id quod idem est, ac si dicat: sapienti consilio.« At ut in dativo ista vis insit, hoc tamen me non intelligere fateor, quomodo idem sit »ut sapientibus probarer« et »sapienti consilio.« Nam qui quid ideo facit, ut probetur sapientibus, eius laudanda quidem est voluntas, utrum autem recte ac sapienter faciat, an male stulteque, non potest ex sola mente ac voluntate aestimari. Potest enim voluntas bona esse in

stultissimo consilio. Idque ipsum in Antigonam cadere aequiores eius iudices chorus et Ismena arbitrabantur, laudantes quidem pietatem, vituperantes autem temeritatem et arrogantiam, ut v. 98. seq. *τοῦτο δ' ἴσθ', ὅτι ἄνους μὲν ἔρχει, τοῖς φίλοις δ' ὀρθῶς φίλη.* — Aliam viam ingressus Triclinius artificio quodam constructionis eandem istam sententiam elicere studet, iubens particulam *εὖ* cum verbo *ἐτίμησα* coniungi. Atque concedendum sane potuisse ab auditoribus ita verba intelligi, si sic ab histrione pronunciabantur: *καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα — τοῖς φρονοῦσιν — εὖ*, eruntque fortasse, quibus ob id ipsum placeat hic verborum ordo, quod vox ea, qua caput continetur sententiae, sic in fine orationis et post pausam collocata, praecipua cum vi in pronunciando extollitur, cuius collocationis exemplum geminum exstat in Oed. Col. v. 642. *ὦ Ζεῦ, διδοίης τοῖσι τοιούτοισιν εὖ.* Verum ne conquiescamus in hac explicandi ratione, quum durities dissuadet constructionis, qua verba divelluntur solemniter fere coniuncta *φρονοῦσιν εὖ*, tum ipsa admonet scripturae in melius mutandae facilitas. Omnia enim bene recteque procedent, si scripseris

καίτοι σέ γ' εὖ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ,

id est: quamquam te quidem recte honoravi iudicio eorum, qui recte sapiunt. Habes verbum, quod in vulgata scriptura aut desiderabatur aut vi extorquendum erat, quo recte honoratus frater diceretur; habes eandem, quae in Triclinii ratione placebat, vim, non perplexa illam constructione effectam, sed iusta verborum collocatione sponte prodeuntem, eamque auctam etiam iteratione particulae *εὖ*, non infrequenti quidem tragicis (cf. infra v. 1031. *εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω.* Philoct. v. 672. *ὅςτις γὰρ εὖ δρᾶν εὖ παθὼν ἐπίσταται.* Aesch. Agam. v. 486. *εὖ γὰρ πρὸς εὖ φανεῖσι προςθήκη πέλοι.* Eumen. v. 830. *εὖ δρῶσαν, εὖ πάσχουσαν, εὖ τιμωμένην.* Suppl. v. 216. *ἀλλ' εὖ τ' ἔπεμψεν, εὖ τε δεξάσθω χθονί.*); habes denique, quod in vulgata non expressum est, exprimi autem pene est necessarium, oppositum per *γὲ* particulam coniugi et liberis fratrem. Hoc enim dicit Antigona: te quidem fratrem recte honoravi, liberos autem aut coniugem si eodem prosecuta essem honore, minus recte fecissem. Eaque omnia unius literae *ω* mutatione consecuti sumus, quam literam cum diphthongo *ευ* confundi facile posse ex ipso earum literarum ductu conspicuum est. Cf. Schaefer. ad Greg. Cor. p. 469.

Antig. v. 1301. seq.

Ἡ δ' ὀξύθηκτος ἥδε βωμία πέριξ
λύει κελαινὰ βλέφαρα, κωκύσασα μὲν etc.

In priori horum versuum merito haeserunt interpretes. In principio statim versus valde molesta est adversativa particula *δέ*, qua cui opponatur Eurydice (de ea enim nuncius loquitur), haud facile dixeris, quum iis, quae proxime antecedunt, verbis eiusdem Eurydices mortem Creon conqueratur. Quod autem antiqui codices habent, *ἥδ' ὀξύθηκτος, ἥδε βωμία,* id quidem prorsus absurdum est. Deinde quod deinceps sequitur *ὀξύθηκτος,* non posse proprio solitoque significatu, quo valde acutum significat, accipi per se patet. Interpretes alii acuto ferro percussam, alii furibundam dici Eurydicen opinantur. Qui illud, confundunt diversissimas inter se notiones, quales sunt acutum et percussum, qui hoc, corrumpunt sententiam. Non enim recte cohaerent haec: furibunda oculos claudit, quia furibundi potius est sibi vim inferre, quam, postquam intulerit, oculos morte claudere. Insolenter denique et vix Graece dictum est *βωμία πέριξ* pro *περιβώμιος*.

His de causis iis assentior, qui turbatum aliquid in hoc versu iudicant. Quod autem latius etiam serpsisse vitium versusque unius post hunc iacturam factam esse existimant, id neque ex antistrophica huius carminis ratione consequitur, possunt enim hi versus pro mesodo duorum systematum strophicorum haberi, neque ex eo, quod mancus videtur hac textus constitutione sensus existere, colligi licet, potest enim fieri, ut genuina scriptura restituta nihil ad plenam integramque sententiam deesse videatur. Idque ego probabili coniectura praestare me posse confido.

Etenim videor mihi reperisse mirum illud *πέριξ* nihil esse nisi praepositionem *περὶ* et reliquias vocabuli in attrito forte chartae margine mutilati: *ξίφει*. Hoc invento iam facile est in reliquo versu et poetae manum indagare et librariorum veterum errores perspicere. Scripserat, ut videtur, poeta:

ἥδ' ὀξυθήκτῳ βωμία περὶ ξίφει
λύει κελαινὰ βλέφαρα etc.

Haec, ait nuncius vel digito monstrans vel propius quum accessit ad corpus mortuae in ara positum, haec acuto percussa in aris gladio sub atra nocte natantia solvit lumina. Librarii nomine suo destitutum adiectivum *ὀξυθήκτῳ* ad Eurydicen referendum opinati

ὀξύθηκτος scripserunt; tum versus integrandi causa alterum ἧδε inculcarunt.

Verba περὶ ξίφει significare gladio percussum notissimum est. Est tamen, quare eorum cum verbis βωμία λύει βλέφαρα constructio audacior aliquanto videri possit, quam quae aliae eiusdem generis dictiones apud poetas inveniuntur, velut Hom. Iliad. ν, 570. περὶ δουρὶ ἤσπαιρε. ϑ, 86. κυλινδόμενος περὶ χαλκῷ. σ, 230. seq. ὄλοντο - ἀμφὶ σφοῖς ὀχέεσσι καὶ ἔγχεσιν. Odyss. μ, 395. κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει. Soph. Aiac. v. 828. πεπτῶτα τῷδε περὶ νεοῤῥάντῳ ξίφει. Vid. Nitzsch. ad Odyss. λ, 423. Atque erit fortasse, qui, eiusmodi vocem, qualis in Aiacis loco est πεπτώς, hic quoque requiri putans, πτώσιμος pro βωμία reponi malit, praesertim postquam de vocabulo βωμία dubitationem attulit Hermannus in adnotatione ad h. l. quaerens: »deinde quae illa est ara, quum non in templo, non in loco sacro, sed ipsis in regiis aedibus manum sibi intulerit?« At neque audacior verborum constructio in sublimiore melicorum dictione quidquam offensionis habet, neque quod ad aram domesticam mulier iras deorum in caput coniugis detestatura procubuisse ibique necem sibi conscivisse, atque eius rei mentionem facere nuncius de detestatione illa dicturus fingitur, non recte a poeta institutum esse videri debet. De aris domesticis, quae plures erant in regum aedibus, cf. Eurip. Alcest. v. 170. πάντας δὲ βωμούς, οἳ κατ' Ἀδμήτου δόμους, προςῆλϑε. Soph. Trach. v. 900. seqq. ἐπεὶ γὰρ ἦλϑε δωμάτων εἴσω μόνη καὶ παῖδ' ἐν αὐλαῖς εἶδε - - -, βρυχᾶτο μὲν βωμοῖσι προςπίπτουσ', ὅτι γένοιτ' ἐρήμη.

Oedip. R. v. 214. seq.

Πελασϑῆναι φλέγοντ' ἀγλαῶπι
πεύκᾳ 'πὶ τὸν ἀπότιμον ἐν ϑεοῖς ϑεόν.

Post ἀγλαῶπι excidisse tres syllabas, quae creticum efficerent, Hermannus intellexit. Quaerenti, cuiusmodi vox perierit, vix potest dubium videri, quin faci, qua armatus dicitur Bacchus, praeter splendoris epitheton ἀγλαῶπι etiam alterum, quod rapiditatem flammae vel ardorem significaret, appositum fuerit; ardore enim, non solo splendore, fax ad

depellendum hostem idonea est. Eiusmodi adiectivum non credo aptius reperiri posse quam δαΐᾳ. Notissima est Homeri dictio πυρὶ δαΐῳ, quam etiam tragici usurpant, ut Aesch. Sept. v. 204. Eurip. Helen. v. 197. Librarius vocem ΔΑΙΑΙ, opinor, proclivissimo errore ΔΑΙΔΙ legens propter sequens eiusdem significatus nomen πεύκᾳ tanquam ex glossemate insertum omisit.

Oedip. R. v. 328. seq.

Πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'· ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά.

Oratio dura admodum et perplexa, quomodocunque membra distinguis. Scholiastes coniungit verba ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σά, haec adnotans: οὐκ ἐμφανῶ τὰ ἐμὰ ἔπη, ἵνα μὴ τὰ σὰ εἴπω κακά, eamque distinguendi rationem Hermanno praeeunte plerique editores secuti sunt, tolerabilius sane, quam quidquid praeterea a viris doctis ad explicandum locum tentatum est. Verum quominus acquiescamus in ea ratione, impedit inepta in hac sententia verborum collocatio, qua quum τἀμὰ et τὰ σὰ ut contraria inter se opponantur, contrarium autem inter Tiresiae mala vaticinia et Oedipodis mala facinora nihil sit, nisi quod commune est omnium vaticiniorum, ut alius sit vates, alius is, cui vaticinetur, non facetum istud in opponendis contrariis acumen, sed inanem frigidumque esse verborum lusum quilibet sentiet. Ita demum se recte haberet ista verborum collocatio, si in hanc sententiam liceret verba accipere: Ego vero nunquam mea — ne dicam: tua — patefaciam mala, id est, ego nunquam mihi, ne dicam: tibi, vaticinando mala parabo. Metuebat enim Tiresias, ne in perniciem suam verteret vaticinatio (v. 324. seq. v. 332.). Verum obstat particula ἄν.

Quare videndum, ne quid lateat in vulgata scriptura vitii. Melius certe procedet oratio, si, leniter mutata codicis Veneti scriptura τἄλλ' ὡς ἂν εἴπω, sic scripseris:

ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄλλων ἀνείπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

Quibus verbis, ut vatem decet, per ambages Tiresias hoc dicit: Ego

nunquam aliorum (id est eorum, qui Laium interfecerunt, quos tu alienos a te putas) mala facinora edicam, ne tua patefaciam.

Oedip. R. v. 665 — 668. et v. 695 — 698.

Stroph. Ἀλλά μοι δυςμόρῳ
γᾶ φθίνουσα τρύχει [ψυχάν],
καὶ τάδ' εἰ κακοῖς κακὰ
προςάψει τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν.
Antistr. ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν
ἐν πόνοις ἀλύουσαν κατ'
ὀρθὸν οὔρισας, τανῦν τ'
εὔπομπος, εἰ δύναιο, [γενοῦ].

Quae uncinis inclusi verba ψυχάν et γενοῦ, neque metris conveniunt neque lecta videntur a scholiasta. Delevit Hermannus ut interpretis additamenta. Quo facto numeri congruunt, laborat sententia. Atque primum inaudita est locutio τρύχει μοι γᾶ. Requiritur accusativus. Quod Hermannus proposuit ἀλλά μ' ἁ δύςμορος γᾶ φθίνουσα τρύχει, non est eiusmodi, ut facile in vulgatam scripturam mutari potuerit. Verisimilius duco in particula καί, vel sic suspecta criticis eiectaque a Wundero, latere vocabulum κέαρ. Quod quum insuave sit per synizesin in unam comprehendere syllabam, praestat in antistropha post ἀλύουσαν addere particulam αὖ, quae facile excidere potuerit praecedente simili syllaba αν.

Illa vero, quae in extrema antistropha leguntur, τανῦν τ' εὔπομπος, εἰ δύναιο, sensu prorsus cassa sunt. Quod Hermannus reposito ex bonis codicibus τανῦν δ' pro τανῦν τ' et sublata interpunctione scripsit τανῦν δ' εὔπομπος εἰ δύναιο, ut εἰ optantis esset, ad δύναιο autem repeteretur κατ' ὀρθὸν οὐρίσαι, id et ad constructionem verborum durius est, neque ad rem satis accommodatum. Neque enim optandi hic locus videtur esse, ubi rationem reddit chorus, quare se neget mentis compotem fore, si salutis suae auctorem proditum eat. Rectius certe sententia procederet, si hoc diceret chorus: qui et antea terrae meae salutem attulisti, et nunc attuleris, si possis. Eaque sententia ut exoriatur, nihil opus est nisi inserta particula ἂν hoc modo: τανῦν τ' ἄν,

εὔπομπος, εἰ δύναιο. Subaudiendum enim *οὐρίσειας* ex praegresso *οὔρισας*, de quo loquendi genere egerunt Matth. Gr. gr. §. 599. 4. Kühner. Gr. gr. §. 456. Herm. de part. *ἄν*, lib. IV. cap. IV. Distinxi autem post *ἄν*, ut, voce *εὔπομπος* ad utrumque disiunctivae sententiae membrum relata, solum *τανῦν τε*, ut debet, oppositum cogitaretur: qui, ait chorus, et antea terram meam malorum tempestatibus fluctuantem rursus direxisti flatu secundo, et nunc quoque direxeris, felix illi comes, si possis. Sed erunt fortasse, qui ne opus quidem esse particula *ἄν* ad efficiendam istam sententiam iudicent, exemplis usi Eurip. Phoen. v. 1616. seq. *τίς ἡγεμών μοι ποδὸς ὁμαρτήσει τυφλοῦ; ἥδ' ἡ θανοῦσα; ζῶσα γὰρ σάφ' οἶδ' ὅτι*, et Platon. Sympos. p. 176. D., ut probabiliter locum ex coniectura restituit Stallbaumius, *ἔγωγέ σοι εἴωθα πείθεσθαι, - - - νῦν δ', ἂν εὖ βουλεύωνται, καὶ οἱ λοιποί.* Verum in Phoenissis incertum est, an genuinum sit, quod ex libris nonnullis receperunt Dindorfius et Hermannus: *ζῶσά γ' ἂν σάφ' οἶδ' ὅτι*, in Symposio autem non optativus, sed futurum subauditur. Itaque hoc loco, si abesset particula *ἄν*, supplendum esset: *τανῦν τ' οὔρισας*, quod absonum est. Cf. Herm. ad Philoct. v. 948. Inserto igitur *ἄν*, ne impar sit versus strophicus, *προσάψει* in *προσάψεται* mutandum est, cuius verbi terminatio *εται* solito compendio scripta facile in *ει* transibat. Minus placeret, si, quod forsitan quispiam coniiciat, servato in stropha *προσάψει*, in antistropha scriberetur *τανῦν τ' ἂν πομπός, εἰ δύναιο.* Neque enim ducendi, sed bene ducendi requiritur notio.

His mutationibus qui prodeunt numeri, sunt ex usitatissimis, id quod apparebit sic descriptis versibus:

stroph. *ἀλλά μοι δυσμόρῳ*
γᾶ φθίνουσα τρύχει κέαρ,
τάδ' εἰ κακοῖς κακὰ
προσάψεται τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῷν.

antistr. *ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν*
ἐν πόνοις ἀλύουσαν, αὖ
κατ' ὀρθὸν οὔρισας,
τανῦν τ' ἄν, εὔπομπος, εἰ δύναιο.

Oedip. R. v. 873 — 878.

Ὕβρις φυτεύει τύραννον·
ὕβρις, εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν,
ἃ μὴ 'πίκαιρα μηδὲ συμφέροντα,
ἀκρότατον εἰςαναβᾶσ'
ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν,
ἔνθ' οὐ ποδὶ χρησίμῳ χρῆται.

Qui novissime hunc locum tractavit, G. Wolffius, in commentatione de scholl. Laurentt. p. 88. seq. ad v. 876. haec adnotavit: »Quum verba antistrophae« (strophae) »ὑψίποδες οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες - - - corruptionis suspicionem minime moverent, plerique stropham« (antistropham) »mutare maluerunt, ubi codd. ἀκροτάταν εἰςαναβᾶσ' (i. e. ὕβρις) ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν. Neque tamen schol. hoc legit: nam ait: ὕβρις, φ., μηδὲν καίριον διαπραττομένη, εἰς δύςβατον ἀκρώρειαν ἀναβιβάσασα τοὺς χρωμένους αὐτῇ, κατεκρήμνισεν. ἢ οὕτως· ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκην - - -. Ille igitur εἰςαναβάσασ' habuit. Quod ex scholio concludi posse negat quidem Dind. in ann. Oxon., nam pedestri tantum oratione ab interprete poetae verbum intrans. expressum esse. Mirum hoc! Immo rectissime Herm. ei respondit, neminem planissimam illam vocem εἰςαναβᾶσα ita interpretaturum fuisse. Atque verae lectionis vestigia etiam Par. d. servavit, qui εἰςαναβιβάσασ' habet, et schol. min., qui, sicut Laurentianus, ἀναβιβάσασα annotat. Scilicet semel librarii $\overline{\alpha\sigma}$ scripserunt, quod bis scribere debebant. Tum schol. nostri verba εἰς δύςβατον ἀκρώρειαν ostendunt, eum ἀπότομον »(ἀκρότατον)« legisse idque cum voce ἀκρότατον »(ἀπότομον)« coniunxisse, quasi alterum esset substantivum. Sed debebat potius adverbialem voci ἀκρότατον tribuere sensum, ut fecit Herm., coniungere autem ἀπότομον ἀνάγκαν, quod Wund. quidem ineptum nominat, sed frustra, siquidem ultrix Necessitas a poeta quasi vorago fingitur, in quam praeceps irruat, quisquis protervus summum quodque ac periculosissimum fastigium petierit. — Quod ego ex schol. elicuisse mihi videor, ἀκρότατον, id ipsum Erfurdtius de suo coniecit: deinde ad coniecturam εἰςαναβάσασ' incidit etiam Duentzerus in Zimm. ann. phil. 1836. p. 859. Cuius verbi obiectum aut in universum sunt homines, aut suppl. τινά, aut ex ὕβρις suppl. ὑβρίζοντας. Aoristo I. verbi βαίνω, ne quis tragicis forte poetis eum abiudicet, usus est Eur. Alc. 1065.:

ἢ τῆς θανούσης θάλαμον εἰςβήσας (i. e. νέαν γυναῖκα) τρέφω: et Helen. 1615. ἐς δὲ γαῖαν ἐξέβησέ σοι τάδ᾽ ἀγγελοῦντα (i. e. me). Numeri denique hi sunt:

ῡ —́ υ —, —́ υ — υ —́ υ —
— —́ υ —, — —́ υ —
ῡ —́ υ —, ῡ —́ υ —, υ —́ υ
— ύ υ υ —́ υ υ —́ ῡ
ῡ ύ υ υ —, —́ υ — υ — $\overset{υ}{—}$α

Hactenus Wolffius. Videamus primum de scholiastae lectione. Sunt autem scholia, unde particula ista excerpta est, integra haec: (1) ὕβρις φυτεύει τύραννον: διὰ τῆς ὕβρεως φύεται καὶ ἀνανεοῦται ὁ τύραννος. ὅταν (καὶ ὅταν Suid.), φησί, πολλὰ διαπράξηται, τότε εἰς μεγάλα ἐμπίπτει (Brunckius inseruit κακά, Suidas habet εἰς μεγάλην ἀνάγκην ἐμπίπτει), διὰ τῆς ὕβρεως ἐπαρθείς. ταῦτα μὲν φησὶ περὶ τῆς Ἰοκάστης, ὅτι ἀνεπιτήδεια λέγει περὶ τῶν θείων νόμων. τὸν δὲ λόγον ποιοῦσι περὶ τῆς τυραννίδος, ἵνα μὴ δόξωσιν ἐμφανῶς αὐτὴν διελέγχειν. (2) ὁ δὲ νοῦς· ὕβρις φυτεύει τύραννον, ὁπόταν πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάτην, ἅ ἐστι μηδὲ ἐπίκαιρα μηδὲ ἑαυτῷ (μηδ᾽ αὐτῷ Brunck.) ἐκείνῳ συμφέροντα. ἀσυνδέτως δὲ εἶπεν. (3) ὕβρις, φησί, μηδὲν καίριον διαπραττομένη, εἰς δύςβατον ἀκρώρειαν ἀναβιβάσασα τοὺς χρωμένους αὐτῇ, κατεκρήμνισεν. (4) ἢ οὕτως· ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκην, ἥλατο εἰς τοῦτο, ὥςτε αὐτὸν εἰς ἀνάγκην γενέσθαι ὑφ᾽ ἑτέρων κρατηθῆναι. Apparet haec non unius interpretis esse, sed vel trium vel quatuor. Quorum qui hoc scripsit: ἀσυνδέτως δὲ εἶπεν, aperte εἰςαναβὰς legit totumque hunc verborum ambitum εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ — χρῆται v. 874 — 878. non ad ὕβριν, sed ad τύραννον retulit, distinguens, opinor: ὕβρις φυτεύει τύραννον, ὕβρις· εἰ πολλῶν etc.; aliter enim non efficitur asyndeton. Neque enim credibile est, eum, quod nimis absurdum foret, post συμφέροντα maiore interpunctione distinxisse. Pertinet autem dictum istud non, ut Erfurdtius volebat colon ponens post εἶπε, ad sequentia, quibus recte ad ὕβριν tota sententia refertur, sed ad superiora illa: ὁ δὲ νοῦς· ὕβρις φυτεύει τύραννον, ὁπόταν etc. Quae quamquam et manca sunt ad sententiam — periit enim apodosis — et mendose scripta, tantum tamen e pronomine reflexivo ἑαυτῷ, si sana est scriptura, intelligimus, verbum ὑπερπλησθῇ ad τύραν-

νον referri, unde verisimile fit pro *ὁπόταν* scholiastam *ὅς ὅταν* scripsisse. — Eandem scripturam *εἰςαναβὰς* haud scio an primi quoque scholii auctor habuerit; convenit certe interpretatio: *ὅταν, φησί, πολλὰ διαπράξηται, τότε εἰς μεγάλα ἐμπίπτει κακὰ διὰ τῆς ὕβρεως ἐπαρθείς*, ubi *ἐπαρθείς*, ut videtur, interpretatio est lectionis *εἰςαναβάς*. Atque sic diserte Suidas, qui s. v. *ὕβρις* ex eodem isto scholio haec refert: *ὕβρις φυτεύει τύραννον· ὕβρις, εἰ (*interpunge *τύραννον, ὕβρις· εἰ) πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν, ἃ μὴ ἐπίκαιρα μὴ δὲ συμφέροντα. διὰ τῆς ὕβρεως, φησίν, ἀνανεοῦται ὁ τύραννος. καὶ* (attende ad hoc extrinsecus illatum *καί*, quo melius intelligas, cur *ἀσυνδέτως* haec dicta opinetur alter scholiastes) *ὅταν, φησί, πολλὰ διαπράξηται, τότε εἰς μεγάλην ἀνάγκην ἐμπίπτει διὰ τῆς ὕβρεως ἐπαρθείς· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ἀκροτάταν εἰςαναβὰς ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν.* — Iam qui tertium scholion scripsit, cuius initium est *ὕβρις, φησί, μηδὲν καίριον*, potuit quidem fieri, ut in suo exemplari legeret *εἰςαναβιβάσασ᾽* vel etiam *εἰςαναβάσασ᾽*, — unde enim decernas? — potuit vero etiam, ut idem, quod nos legimus, *εἰςαναβᾶσ᾽*, ita quidem, si transitivo sensu hoc participium, sicut verbum *ὤρουσεν*, accipiebat, errore sane nec miro admodum nec singulari, siquidem apud Homerum quoque Odyss. *ψ*, 52. aoristo *ἐπιβῆτον* scholiastes transitivam tribuit potestatem, idque nostris etiam hominibus quum aliis tum Buttmanno persuasit. Vid. huius Gr. gr. ampliss. T. II. p. 87. ed. I. At quid induxit eum, ut »planissimam illam vocem« sic interpretaretur? Quid vero illos, ut de genere masculino eandem vocem acciperent, licet ita *ἀσύνδετον* fieri orationem intelligerent? Videlicet quod audacius videbatur bonis hominibus, Insolentiam dici ad summum fastigium evectam in praeceps deferri; hinc alii tyrannum, quum verticem escendisset, decidere, alii Insolentiam eum evehere evectumque deturbare dici opinati sunt. Atque ex hac, credo, interpretandi ratione, non ex antiqua aliqua lectione, originem traxit illa Par. codicis scriptura *εἰςαναβιβάσασ᾽*. — Quartum denique scholion nihil est, si quid video, nisi altera secundi scholii pars. Certe eandem ei lectionem *εἰςαναβὰς* subiectam esse ex relato ad subiectum verbi *ὤρουσεν* pronomine masculino *αὐτὸν* apparet.

Haec si recte a me disputata sunt, certum est iam scholiastarum aetatibus in libris fuisse *ΕΙΣΑΝΑΒΑΣ*, incertum autem, num etiam *εἰςαναβιβάσασ᾽* vel *εἰςαναβάσασ᾽*. Sed sit quamvis certum, fuerit ista in scholiastarum libris scripturae discrepantia, nunquam tamen persuaderi mihi patiar, a poeta illud *εἰςαναβάσασ᾽* profectum esse. Nam primum

quod ad totam sententiam attinet, ea parum scite expressa est, si Insolentia, postquam per metaphoram, quasi tyranni vice fungens, πολλῶν ὑπερπλησθῆναι dicta est, mox metaphora deserta, dum εἰςαναβάσασα vocatur, rursus discernitur a tyranno, tum, quod peius etiam est, denuo tyranni personam induens e vertice decidere dicitur; id enim ὀροῦσαι significat, non deiicere. Ad verborum autem constructionem durum est sic absolute positum sine obiecti significatione participium εἰςαναβάσασα, quod ita demum tolerari posset, si principale quoque verbum ὤρουσεν esset transitivum; soloecum vero ἀκρότατον εἰςαναβάσασα, quum Graecum sit aut ἀκρότατον ἀναβάσασα, aut ἀκρότατον εἰςαναβάσασα ὄρος vel simile quid; sine substantivo enim adverbialis est accusativus ἀκρότατον, non localis, quem necessario sibi flagitat praepositio εἰς. Numeri denique, quorum gratia haec coniectura facta est, ne ipsi quidem nihil habent offensionis. Nam quum respondere inter se debeant versus

stroph. ὑψίποδες οὐρανίαν δι'
αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπὸς,
antistr. ἀκρότατον εἰςαναβάσασ',
ἀπότομον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

displicet praepositio δι' in fine versus posita, ubi absolutam esse numerorum perpetuitatem anacrusis excipiens syllabam ancipitem indicat. Mirer, si istiusmodi exemplum alterum e tragicis poetis afferri possit.

Itaque quum numeri, quum oratio, quum sententia minime ea sint, quae quis possit Sophocle digna habere, prorsus recedendum ab hac emendandi via et ad illam, qua antea critici medelam loco afferre tentabant, redeundum existimo. Intellexerat Musgravius desiderari substantivum, cui adiectivum ἀκρότατον adhaerescere posset. Huic assensi sunt Erfurdtius, Dindorfius, Wunderus et olim Hermannus, qui fortasse scripsisse poetam εἰςαναβᾶσα πρῶν' coniecerat, quam coniecturam ab Erfurdtio non improbatam ipse postea retractavit. Mihi genuinum videtur

ἀκρότατον εἰςαναβᾶσ'
αἶπος ἀπότομον, ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν.

Horum versuum posterior est trimeter iambicus catalecticus, cui aequalis est strophicus

δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος.

Vocabulum αἶπος et apprime convenit sententiae, quae locum praeruptum (ἀκρώρειαν vocat scholiastes) significari postulet, et facillime excidere potuit ante ἀπότομον, praesertim si in hac voce litera α productiore

lineola finali sic exarata erat, ut diphthongo *αι* similis fieret, hoc fere modo *α⅃πoσ α⅃ποτομον*. Vid. Bast. Comm. Palaeogr. p. 704. seq. Sic confusa sunt a librariis *αἶπος* et *ἄπος* apud Euripidem in Phoen. v. 852.

Oedip. R. v. 892. seq. et 906. seq.

Stroph. *Τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖςδ' ἀνὴρ θυμῷ βέλη*
ἔρξεται ψυχᾶς ἀμύνειν;
Antistr. *φθίνοντα γὰρ Λαΐου παλαιὰ*
θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη.

In emendando hoc loco aperte mendoso tota via illos errare existimo, qui ita verba mutanda putant, ut hoc dicat chorus: quis amplius, qui talia facit, deorum tela a vita sua arcere poterit? Quae sententia mihi quidem ab hoc loco alienissima videtur. Interroget istud, qui deterrere vult impios, ne nimium confisi viribus suis deorum contemnant vindictam; at qui, sicut hoc loco chorus, non metuit poenas improborum, sed exoptat (*κακά νιν ἕλοιτο μοῖρα*, ait chorus v. 887.), qui veretur, ne, si impunita discesserit impietas, omnis tollatur deorum cultus ac reverentia (*εἰ γὰρ αἱ τοιαίδε πράξεις τίμιαι, τί δεῖ με χορεύειν*; v. 895.), eum, ubi de arcendis poenis divinis quaerit, potius tale quid decet quaerere: quis tandem amplius in his rebus (i. e. ubi impune contemnuntur divina) pensi quidquam habebit deorum tela, ut supplicationibus a vita sua avertat? Quae sententia Graece sic exprimi potest:

τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖςδ' ἀνὴρ θυμῷ βαλεῖ
θεῶν βέλη ψυχᾶς ἀμύνειν;

Atque fortasse haec ipsius sunt poetae verba. Potuit certe fieri, ut, quum literarum figura similia sint *θυμῷ βαλεῖ* et *θεῶν βέλη*, proclivi oculorum errore a librariis omitterentur verba *βαλεῖ θεῶν*, iisque omissis sententiae explendae causa ab interprete repeteretur e v. 890. *ἔρξεται*. Atque *ἔρξεται* eiiciendum esse scribendumque *θεῶν βέλη* iam Hermannus vidit. Dictio *θυμῷ βαλεῖν* usurpata est ab Aeschylo in Prom. v. 708. *τοὺς ἐμοὺς λόγους θυμῷ βάλε*, nec dissimile est, quod in hac ipsa fabula infra v. 975. dictum exstat: *μὴ νῦν ἔτ' αὐτῶν μηδὲν ἐς θυμὸν βάλῃς.*

. Admissa hac emendatione versus antistrophici sic corrigendi erunt:

φθίνοντα γὰρ Λαΐου παλαίφατα
θέσφατ' ἐξαιροῦσιν ἤδη.

Παλαίφατα θέσφατα Homeri dictio est: Odyss. ι, 507. ν, 172. In brevi prima vocis *παλαίφατα* syllaba, quae ultima est epitriti, ante creticum nulla est offensio. Vid. Herm. de metror. quor. mens. p. 8. sive Opusc. Vol. II. p. 111.

Oedip. R. v. 1086—1090. et 1098—1102.

Stroph. *Εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ*
καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις, οὐ τὸν Ὄλυμπον ἀπείρων,
ὦ Κιθαιρών, οὐκ ἔσει τὰν αὔριον
πανσέληνον etc.

Antistr. *Τίς σε, τέκνον, τίς σ' ἔτικτε;*
τῶν μακραιώνων ἄρα Πανὸς ὀρεσσιβάτα
προςπελασθεῖσ', ἢ σέ γέ τις θυγάτηρ
Λοξίου; etc.

Non una macula hic locus contaminatus est. Iam statim in initio strophae mirifice languent verba *κατὰ γνώμην*, sive ex animi sententia interpreteris, sive quod attinet ad mentem. Sunt qui praepositionem *κατὰ* ab interprete ortam putent. Id si verum est, expulsa praepositione vix puto aptius lacunam suppleri posse, quam hoc modo:

καὶ σοφᾶν γνωμᾶν ἴδρις,

quod eadem sententia dictum est, qua illud, quod Hermannus ex Electra confert (v. 472.): *εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας λειπομένα σοφᾶς*, eodemque loquendi genere, quo haec: Electr. v. 608. *τῶνδε τῶν ἔργων ἴδρις* (intellige *ἀναιδείας, στομαργίας, κακίας*). Antig. v. 301. *παντὸς ἔργον δυςσέβειαν εἰδέναι*. v. 1250. *γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος*. Trach. v. 582. *κακὰς δὲ τόλμας μήτ' ἐπισταίμην ἐγὼ μήτ' ἐκμάθοιμι*. Verum quamvis apta sit ita conformata oratio, non tamen eiusmodi est, quae facile sit corruptioni obnoxia.

Proclivior erat librariorum error, si sic scripserat Sophocles:

καὶ καλᾶν γνωμᾶν ἴδρις,

ut hoc diceret chorus: ego si vates sum et bonis honestisque sensibus imbutus, i. e. si et vates sum et beneficiorum memor (*εἰ μὴ κακὸς πέφυκα.* Philoct. v. 558.). Quae sententia licet ab hoc loco, ubi chorus se crastino die Cithaeronem montem, ut Oedipodis genitorem, laudibus saltationibusque celebraturum vaticinatur, non omnino aliena videatur, habet tamen nescio quid inutile atque importunum ista grati animi praedicatio, praesertim quum ornandae tantum orationis causa celebrationis illius mentio iniiciatur.

Quae quum ita sint, hac via ad verum perveniri posse mihi quidem prorsus desperandum videtur. Quid autem, si rarius aliquod vocabulum a *κατὰ* compositum librarios fefellit, ut nomen a praepositione, mutata terminatione, divellerent? Fac Sophoclis aetate in usu fuisse nomen aliquod substantivum *καταγνώμων*, ex verbo *καταγιγνώσκειν*, accurate cognoscere vel iudicare (Xen. Oec. 2, 1. 18. Aesch. Eum. v. 643. Antiph. VI, 3.) eodem modo derivatum, quo *γνώμων* ex *γιγνώσκειν*, non video, quid reprehendi possit in hac oratione:

καὶ καταγνώμων ἴδρις,

et callidus rerum aestimator. Certe nomen simplex *γνώμων* in re simili usurpatum est ab Aeschylo in Agam. v. 1101. *θεσφάτων γνώμων ἄκρος*, et a Thucydide I, 138. *τῶν παραχρῆμα κράτιστος γνώμων.*

Quae sequuntur verba *οὐ τὸν Ὄλυμπον — αὔριον*, numeris antistrophicis non concinunt. Quaerenti de sede vitii in stropha nihil, quod non recte apteque dictum videatur, occurrit *), in antistropha autem non exiguam corruptelae suspicionem movet inepta vocis *θυγάτηρ* collocatio. Nam quum ordo verborum debeat hic esse: *τίς σ' ἔτικτε; τῶν μακραιώνων ἄρα θυγάτηρ τις, προςπελασθεῖσα Πανὸς ἢ Λοξίου*; apparet vocem utrique membro communem *θυγάτηρ* non recte collocatam esse post *ἤ σέ γε*, quo loco id potius collocandum erat, quod priori membro esset oppositum.

**) G. Wolffius de scholl. Laurent. p. 91. scholio οὐκ ἔσῃ εἰς τὴν αὔριον ἀπείρατος confirmari putat Hermanni, quam olim fecit, emendationem: οὐκ ἔσει αὔριον ἐς πανσέληνον. Nam minime esse credibile scholiastam usitatissimo accusativo temporis praepositionem εἰς addituram fuisse, nisi eam legisset. Fugerat virum doctissimum, quum ista scribebat, Pollucis locus I, 66. φιλοτιμότερον (i. e. elegantius) προςτιθέναι τὴν εἰς πρόθεσιν ταῖς ἐπιούσαις ἡμέραις, οἷον εἰς αὔριον, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, καὶ εἰς ἡμέραν γ'.*

Quare Wundero assentior verba τις θυγάτηρ pro corruptis habenti, dissentior autem, quod ea ex interpretamento orta putat. Non animadverterat vir doctissimus in ipsa librorum scriptura latere vocem et sententiae et metris strophae accommodatissimam εὐνάτειρα, quae vox negligentius scripta facile potuit θυγάτηρ legi, praesertim si in fine litera α, attrito forte vel eroso chartae margine, evanuerat. Certe saepe confusae inveniuntur literae ε et θ, ν et γ (vid. Bast. Comm. Palaeogr. p. 714. 710.), nec multum inter se differunt ει et η. Finge sic scriptam vocem a librario inventam esse: ΕΥΓΑΤΗΡ, vel minusculis literis ευγατηρ, non miraberis eum θυγάτηρ legisse, vix enim discernas, utrum sic an ευνατειρ legendum sit. Itaque poetae restituendum censeo

προςπελασθεῖσ᾿, ἤ σέ γ᾿ εὐνάτειρά τις
Λοξίου.

Pronomen τις, quum post εὐνάτειρα simul cum litera α periisset, a librariis ante θυγάτηρ insertum videtur; abest certe a codd. Laur. a. et Flor. Δ.

Idem pronomen in exitu versus praecedentis eadem illa labe, opinor, abreptum, qua mutilatum εὐνάτειρά τις, coniectura restituit Hermannus. Quo facto numeri recte procedunt: τῶν μακραιώνων ἄρα Πανὸς ὀρεσσιβάτα τις. In sententia residet aliquid vitii. De Nymphis sermonem esse apertum est. Quae licet recte μακραίωνες, id est longaevae seu diu viventes, appellentur, utpote ἰσοδένδρου τέκμωρ αἰῶνος λαχοῦσαι (Pindar. ap. Plutarch. de Oracc. def. cap. XI.), tamen non satis definite hac appellatione designantur, ut substantivi adiectione istud adiectivum videatur carere posse. Quamobrem nondum satisfactum fore sententiae puto, si quis τᾶν μακραιώνων pro τῶν μακραιώνων reponi velit. Necessario enim nomen aliquod Nympharum requiritur, quocum coniungatur adiectivum μακραιώνων. Eodem etiam scholiastes ducit, adnotans ad v. 1086.: ὑπονοοῦσιν οἱ κατὰ τὸν χορὸν χρηστότερόν τι περὶ τοῦ Οἰδίποδος, ὅτι θειοτέρου γένους τυγχάνει ἀπό τινος τῶν ὀ ρ ε ί ω ν ν υ μ φ ῶ ν. Unde suspiceris eum Ὀρειβατίδων τις vel Ὀρεστιάδων τις legisse, ut huiusmodi quid scripserit Sophocles:

τίς σε, τέκνον, τίς σ᾿ ἔτικτε;
τῶν μακραιώνων ἄρα Πανὸς Ὀρεστιάδων τις
προςπελασθεῖσ᾿, ἤ σέ γ᾿ εὐνάτειρά τις
Λοξίου·

id est: q u i s t e, f i l i, q u i s t e g e n u i t? L o n g a e v a r u m c e r t e O r e-

adum una, cum Pane congressa; an te coniux aliqua Loxiae? Articuli forma *τῶν* servari potest cum feminino nomine coniuncta; cf. Oed. Col. v. 718. *τῶν ἑκατομπόδων Νηρῄδων ἀκόλουθος*. Particula *ἄρα* coniicientis est, ut saepe. In formula Homerica *ἦ σέ γε* iniuria offendisse Wunderum, quum simile sit *οὐδὲ σέ γε* in Philoct. v. 1117., iam ab aliis est monitum.

Oedip. R. v. 1280. seq.

Τάδ' ἐκ δυοῖν ἔῤῥωγεν, οὐ μόνου, κακά,
ἀλλ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.

Nec geminatum *κακά* neque absolute positum *μόνου* tolerari posse ab interpretibus plerisque omnibus intellectum est. Quod Porsonus reponendum censuit *οὐχ ἑνὸς μόνου*, et per se languet, et ita absolvit sententiam, ut inutilem faciat versum sequentem. Idem cadit in coniecturas *κείνου μόνου* et *τούτου μόνου*. Requiritur tale vocabulum, quod praeparet eam, quae sequitur, sententiam. Eiusmodi est, quod ingeniose invenit Hermannus, *οὐ μονοζυγῆ*, hoc uno nomine reprehendendum, quod difficilis est ab ea scriptura in vulgatam transitus. Magis corruptioni obnoxia erat haec verborum comprehensio:

τάδ' ἐκ δυοῖν ἔῤῥωγεν, οὐκ ἀνδρὸς μόνου,
ἀλλ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.

Facile enim fieri potuit, ut *ἀνδρὸς* per compendium scriptum a librariis omitteretur, praesertim quum paullo post idem repetitum invenirent nomen *ἀνδρί*, tum autem suppleretur versus adiecta voce *κακά*. Eodem fere modo apud Euripidem in Phoen. v. 1597., quum in plerisque libris legatur *ὃν καὶ πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν*, vox *μητρὸς* excidit e quinque codicibus, quorum duo ad lacunam versus sarciendam in fine addunt *ἔτι*. Vid. Klotz. ad l. c. Quod ad sententiam attinet, id agere videtur poeta, ut postquam Iocastae et Oedipodis calamitates nuncius exposuit, nunc moneantur auditores, quum solus Oedipus videatur noxius esse, communi cum marito interitu innocentem uxorem abreptam esse. »Saepe enim Diespiter neglectus incesto addidit integrum«. (Horat. Od. III, 2, 30.). Idcirco distinguit maritum ab uxore nuncius dicens: *οὐκ*

ἀνδρὸς μόνον. De repetitione nominis totaque orationis compositione cf. Philoct. v. 554. seqq.: ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφὶ σοῦ νέα βουλεύματ᾽ ἐστί· κοὐ μόνον βουλεύματα, ἀλλ᾽ ἔργα δρώμεν᾽, οὐκέτ᾽ ἐξαργούμενα.

Oedip. R. v. 1349 — 1353.

Ὄλοιθ᾽ ὅςτις ἦν, ὃς ἀπ᾽ ἀγρίας πέδας
νομάδος ἐπιποδίας ἔλυσεν ἀπό τε φόνου
ἔῤῥυτο κἀνέσωσεν, οὐδὲν ἐς χάριν πράσσων.

Numerorum vitium, quod est in primo horum versuum, eiecta praepositione *ἀπὸ* sanavit Triclinius, quem plerique novissimorum editorum secuti sunt, ex interpretatione, ut videtur, praepositionem existimantes intrusam esse. Potest sane ita factum esse, potest vero etiam ita, ut, quum
μ
antiquum esset *μ᾽ ἀγρίας*, id negligentius sic scriptum *αγρίας* a librariis
π
solito praepositionis *ἀπὸ* compendio *α* in errorem inductis *ἀπ᾽ ἀγρίας* legeretur, pronomen autem *μ᾽* hoc casu expulsum loco minus apto in sequenti versu insereretur. Hinc mira illa scripturae discrepantia, et incerta in libris pronominis sedes, aliis *ἔλυσέ μ᾽*, aliis *ἔλυσ᾽ ἐμ᾽*, aliis *μ᾽ ἔλυσ᾽*, aliis denique et plerisque quidem omisso pronomine *ἔλυσεν* exhibentibus. Alio pertinet scriptura *ἔλαβέ μ᾽*, de qua paullo post accuratius dicam. Restituto igitur pronomine, et verbo *ἔλυσεν*, quod nulli usitatorum numerorum generi accommodatum est, in *ἔλυσ᾽* mutato, hi existunt versus:

Ὄλοιθ᾽ ὅςτις ἦν, ὅς μ᾽ ἀγρίας πέδας
νομάδος ἐπιποδίας ἔλυσ᾽ ἀπό τε φόνου etc.

Sententia bona, boni numeri neque abhorrentes a stropha, ut quidem probabiliter restituta est ab Hermanno:

Ἀπόλλων τάδ᾽ ἦν, Ἀπόλλων, φίλοι,
ὁ κακὰ τάδ᾽ ἐμὰ τελῶν, κακὰ τάδ᾽ ἐμὰ πάθεα.

Nihilominus tamen dubitationem movet longa verbi *ἔλυσ᾽* syllaba, quum in stropha haec arsis soluta sit neque temere videatur in hoc melicorum iamborum genere arsium solutio aut admitti aut negligi posse. Huc accedit antiquioris scripturae indicium codicis optimi Laur. a. et scholiastae

lectio ἔλαβέ μ'. Indicium antiquae scripturae dixi; nam si ipsam hanc scripturam pro antiqua habeamus, necessario, quoniam absurdum est πέδας ἔλαβέ με, quod esset vinculis me prehendit, servata praepositione ἀπὸ cum Hermanno scribendum erit: ὄλοιθ' ὅςτις, ὅς μ' ἀπ' ἀγρίας πέδας — ἔλαβεν. Verum hic ellipticus pronominis ὅςτις usus, vel sic satus rarus, ante alterum relativum ὅς durior est, quam qui sine veterum exemplo poetae obtrudi possit. Quid quod ne sic quidem nihil insolentiae in constructione verborum relinquitur. Quis enim unquam tale quidquam dixit, quale hoc est ἀπὸ πέδας λαβεῖν τινα? Sed sinamus hoc, multa enim insolenter dicta apud tragicos inveniuntur, atque intelligi saltem possunt ista. Sensus enim non potest alius esse nisi hic: qui e vinculis me solutum accepit, id est sustulit et asportavit secum, ut recte Hermannus interpretatur, idque re vera fecerat servus ille, qui puerum expositum a morte servavit. Hoc dubito, satisne apta sit eius rei commemoratio, ubi non in narranda re gesta versatur Oedipus, sed male precatur homini, qui id, quod alii in summi beneficii parte numerarent, sibi praestiterit, ut ab acerrimis doloribus crudelissimaque nece sese eriperet. Frigidius certe locutus esset, si vinculorum saevorum illorum mordentiumque spiculorum mentionem faciens non id verbis expressisset, in quo summa rei versatur, solutionem, sed id commemorasset, quod levioris in hac re momenti est, assumtionem.

Itaque si pro antiqua scriptura ἔλαβέ μ' haberi nequaquam potest, quaeritur, unde originem duxerit. Ab interprete verbum ἔλαβεν additum esse, ut Wunderus suspicatur, nullo modo credibile est; quis enim interpres verbum tam procul a via cogitationeque remotum pro interpretamento posuisset? Relinquitur, ut librariorum errore natum existimetur, et tali quidem ex verbo, quod et tribrachyn efficeret et solvendi significationem haberet, cuiusmodi est ἐχάλασ', proprium illud de relaxandis aut solvendis vinculis stringentibus: cf. Aeschyl. Prom. v. 176. πρὶν ἂν ἐξ ἀγρίων δεσμῶν χαλάσῃ (με). ib. v. 993. πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια. Soph. Oed. R. v. 1266. χαλᾷ κρεμαστὴν ἀρτάνην. Xenoph. de re equ. 5, 4. χαλᾶν τὰ δεσμά. In quo verbo, opinor, quum litera χ negligentius ita scripta esset, ut facile cum λ confundi posset (vid. Bast. Comm. Palaeogr. p. 724.) vocem ἐλάλασ' lectam librarii alii in ἔλαβε mutaverunt confusis literis σ et β (de qua confusione vid. Herm. ad Soph. Ant. v. 1194. et Schaefer. in Wexii Syllog. ad eundem locum), alii in

ἔλυσε, nisi haec est scripturae ἔλαβε interpretatio. Itaque locum sic emendandum censeo:

Ὄλοιθ᾽ ὅςτις ἦν, ὅς μ᾽ ἀγρίας πέδας
νομάδος ἐπιποδίας ἔχάλασ᾽ ἀπό τε φόνου
ἔρυτο κἀνέσωσεν, οὐδὲν ἐς χάριν πράσσων.

Adiectivum *νομάδος* recte scholiastes interpretatur *τῆς διανεμομένης τοὺς πόδας μου*. Nihil enim aliud est *νομάς*, nisi aut pascens aut oberrans. Quare non video, quomodo probari possit altera explicatio, quam proponit glossa: *ἀπὸ ἀπηνοῦς δεσμοῦ ἐν νομαδιαίοις τόποις συνέχοντος τοὺς πόδας*. Accedit, quod pascuorum in hac re commemoratio ut sedato rerum narratori conveniat, ita a concitato exsecrantis animo aliena est. Eadem de causa eos errare iudico, qui aut *νομάδ᾽* ex coniectura reponunt, ut Oedipus in pascuis expositus intelligatur, aut *νομὰς* de pastore, qui puerum expositum e vinculis solvit.

Oedip. R. v. 1463 — 1465.

Αἶν οὔποθ᾽ ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζ᾽ ἄνευ τοῦδ᾽ ἀνδρός, ἀλλ᾽ ὅσων ἐγὼ
ψαύοιμι, πάντων τῶνδ᾽ ἀεὶ μετειχέτην.

Quomodocunque haec verba construis, magnopere impedit intellectum vox *ἡμή*. Nam quibus coenaturis seorsum a patre apponitur mensa, iis patris mensam apponi absurdum est dicere. Quapropter ego cum Neuio et Wundero corruptam eam vocem existimo. In promptu est emendatio:

αἶν οὔποτ᾽ ἄλλη χωρὶς ἐστάθη etc.

Patet origo corruptionis: vocem *ΑΛΛΗ* solemni fere literarum *M* et *ΛΛ* confusione *ΑΜΗ* lectam librarii in *ἡμὴ* mutaverunt aspirata ea, quae praecedit, tenui. Sententia verborumque constructio haec est: quibus nunquam alia seorsum posita est mensa cibaria sine hoc viro, id est sine me. In pleonasmo *ἄλλη χωρὶς ἄνευ τοῦδ᾽ ἀνδρός* nemo offendet. Vid. Wunder. Advers. in Philoct. p. 52. et eiusdem adnotationes ad Oed. Col. v. 782. seq. et Ant. v. 397. seq.

Oedip. Col. v. 1115 — 1118.

ΟΙΔΙΠΟΥΣ. Καί μοι τὰ πραχθέντ' εἴπαθ' ὡς βράχιστ', ἐπεὶ
ταῖς τηλικαῖσδε σμικρὸς ἐξαρκεῖ λόγος.
ΑΝΤΙΓΟΝΗ. ὅδ' ἔσθ' ὁ σώσας· τοῦδε χρὴ κλύειν, πάτερ,
καὶ σοί τε τοὖργον τοὐμὸν ἔσται βραχύ.

Postremum horum versuum, quem vitiatum ostendit et syllabae unius defectus et copula nihil copulans *τέ*, variis modis critici tam veteres quam recentiores emendare studuerunt. Quorum conamenta quum pleraque ipsa per se refellantur, nihil attinet hoc loco singula recensere. Sola, quae memoretur, digna est nitidissima Hermanni emendatio:

καὶ σοί τε τοὖργον τοῦτ' ἐμοί τ' ἔσται βραχύ.

Quae si non omnibus arrisit, qui postea hanc fabulam ediderunt, id puto displicuisse, quod ita periit pronomen, quo aegre caremus, *τοὐμόν*. Etenim quum Oedipus filias iubeat rem gestam sibi enarrare quam brevissime, quemadmodum tantillas virgines deceat, apertum est Antigonam ei debere in hanc fere respondere sententiam: h i c e s t s e r v a t o r, h u n c t e o p o r t e t a u d i r e, p a t e r, e t t i b i h o c *m e u m* n e g o t i u m b r e v i c o n f e c t u m e s t, non sic nude h o c negotium, quod vereor ne auditores non de ea, quae ad Antigonam pertinebat, muneris parte, sed universe de narrandis sive ab Antigona sive a Theseo rebus et audiendis iisdem ab Oedipode accipere debeant, haerentes quidem ac mirabundi, cur id negotii Antigona patri brevius evasurum dicat, si Theseum narrantem audiat, quam si ipsam. Quare si genuinum est *σοί*, necessario etiam *τοὐμὸν* servandum erit, idque videor mihi intelligere hac emendatione fieri posse:

καί σοι τόδ' ἔργον τοὐμὰν ἤνυσται βραχύ..

Vulgata *ἔσται*, si quid video, aut e glossemate *ἠνυσμένον* vel *εἰργασμένον ἔσται*, aut ex depravata forte scriptura *ηνεσται* orta est.

Oedip. Col. v. 1697 — 1699.

Πόθος καὶ κακῶν ἄρ' ἦν τις.
καὶ γὰρ ὃ μηδαμὰ δὴ τὸ φίλον, φίλον·
ὁπότε γε καὶ τὸν ἐν χεροῖν κατεῖχον.

Vehementer turbant orationem voces *καὶ τόν*. Interpretes plerique

Hermannum sequuntur, qui in utraque sua editione ad v. 1699. haec adnotavit:

»Vat. omittit γε. Ingeniose Reisigius, ὅτ' ἦν γε, καὶ τὸν ἐν χεροῖν κατεῖχον. Librorum scriptura, quae impedita visa est Elmsleio, defendi potest, si meminerimus, aliud esse ὁπότε, quod infinitum est; aliud ὅτε, quod finitum. Ex quo patet non posse sensum esse, quum illum in manibus habebam, quod dicendum fuisset ὅτε, sed, quia ὁπότε dictum est, rationem reddi praecedentium. Atque ita etiam καὶ quid sibi velit intelligi potest. Hoc enim dicit Antigona: ergo etiam malorum aliquod desiderium est: nam etiam quod minime id erat, quod gratum esset, gratum est, quandoquidem etiam illum manibus fovebam: i. e. quandoquidem etiam virum caecum et malis pene oppressum sedulo curabam.«

Vellem explicatius dixisset vir summus, quomodo ista Antigonae dicta inter se cohaerere existimaret. Illud quidem docuit, extremis verbis rationem reddi praecedentium. Praecedunt: »nam etiam quod minime id erat, quod gratum esset, gratum est.« Patet hoc gratum est non universe eum intelligi velle, ut sit: gratum est hominibus, sed de sola Antigona, ut sit: nunc mihi gratum est. Alioquin, ut ratio sibi constaret, dicendum erat: potest gratum esse. Nam quod Antigona suscepit molestam viri caeci curationem, ex eo non sequitur, ut sint gratae hominibus molestiae, sed ut possint gratae esse. Itaque Hermannus hoc videtur ab Antigona dictum putare: cur nunc sibi grata sit, quae antea ingrata erat ac molesta, patris cura, hanc esse causam, quod etiam virum caecum et malis pene oppressum sedulo curaverit. Quod qua ratione efficiatur, equidem non perspicio, nisi hac, quod grata est recte factorum conscientia. Ita vero tollitur coniunctio, qua haec verba cohaerent cum sententia primaria: ergo etiam malorum aliquod desiderium est. Non enim propterea, quod grata est molestiarum laudabiliter susceptarum recordatio, continuo etiam desideramus eas, nisi ipsis immixtum sit aliquid, quod dulcedine sua capiat animum atque deleniat. Non ergo hanc puto Hermanni sententiam esse, quamquam, quae tandem possit alia esse, neque mihi contigit perspicere, neque amicorum cuiquam, quibuscum de ea re communicavi. Itaque ego etiamnunc desperans defendi posse librorum scripturam, non καὶ τὸν sed καὐτὸν a poeta scriptum fuisse suspicor. Ita certe optime procedit oratio: Ergo etiam malorum aliquod desiderium est: nam etiam id, quod

minime id erat, quod iucundum esset, iucundum mihi erat, quandoquidem (non solum illud, quod per se minime iucundum erat, molestam patris curam, sed) etiam ipsum in manibus habebam.

Oedip. Col. v. 1709 — 1714.

Ἄνα γὰρ ὄμμα σε τόδ', ὦ πάτερ, ἐμὸν
στένει δακρῦον, οὐδ' ἔχω,
πῶς με χρὴ τὸ σὸν τάλαιναν
ἀφανίσαι τοσόνδ' ἄχος. ἰὼ
μὴ γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ'
ἔρημος ἔθανες ὧδέ μοι.

Versus 1712. duobus vocabulis *τοσόνδ'* et *ἰὼ* pugnat cum numeris strophici *πῶς γὰρ ἤ τιν' ἀπίαν γᾶν.* Et *ἰὼ* quidem certatim emendare conati sunt viri docti, in quibus Hermannus bene correxit *τῷ*, in *τοσόνδ'* autem reliquerunt syllabam longam, praeter Reisigium, qui *τὸ σὸν* reposuit. Illi igitur productam a Sophocle putabant primam in *ἀπίαν*. Unde vero productam, quam et usus Homeri et ipsius origo vocabuli corripi iuberent? Scilicet, quo acceptior existeret Atticis auribus mensura, ut ait Buttmannus in Lexilog. T. I. p. 69. At quid tandem insit in altera mensura, quare non aeque accepta fuerit Atticis, equidem non perspicio, et eo minus etiam, quo gratiores haec aptioresque concitato Antigonae animo efficit numeros, versibus quidem sic descriptis, ut dimetrum creticum et dochmium duo excipiant dimetri iambici:

πῶς γὰρ ἤ τιν' ἀπίαν
γᾶν ἢ πόντιον
κλύδων' ἀλώμεναι βίον
δύσοιστον ἕξομεν τροφάν;

Quibus numeris ut accommodetur antistropha, leni hac mutatione opus est:

ἀφανίσαι τόσον ἄχος.
τῷ μὴ γᾶς ἐπὶ
ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ'
ἔρημος ἔθανες ὧδέ μοι.

Sed numeris restitutis nondum persanatum esse locum, tam orationis

insolentia quam sententiae perversitas ostendit. Insolens est enim neque ullo certae auctoritatis exemplo munitum *μὴ ἔχρῃζες* pro *εἴθε μὴ ἔχρῃζες*. Perversa autem sententia: utinam ne in peregrina terra cupivisses mori, sed ita desertus mihi mortuus esses. Quomodo enim optare potest Antigona, quam deplorare debebat, patris in morte solitudinem? quomodo porro negare, quod omnes sciebant factum esse, eum in Attica seorsum a suis obiisse? aut quid tandem sibi vult mira ista antithesis: *μὴ γᾶς ἐπὶ ξένας, ἀλλ' ἔρημος ὧδέ μοι?* His tenebris qui explicando lucem afferre conatus est, Hermannus, Antigonam, dicit, quoniam sentiat tanto minus leniri dolorem suum posse, quod ne tumulus quidem patris sibi relictus sit, optare, ut ille ne quaesivisset hanc apud exteros mortem, sed obiisset potius ita desertus ignotusque, ut ante cum ipsa per terras vagus errabat, quo saltem sepelire eum et iusta facere in tumulo posset. At ita poeta, ne quid acerbius dicam, obscurissime locutus esset, si eam, quam intelligi volebat antithesin: *hanc* mortem et *ita ut ante* errabat, ne verbo quidem indicasset, ea autem, quae posuit, contraria aliter accipi voluisset, quam auditores debebant accipere. Quis enim nulla monitus demonstrandi voce illud *μὴ γᾶς ἐπὶ ξένας* de sola Attica intelligere potuisset, ut alias ei terras peregrinas, quas antea peragrabat, oppositas cogitaret, et non potius de omni peregrina terra, cui contraria est patria? Quis vocem *ἔρημος* non maluisset de ea Oedipodis solitudine accipere, qua eum nunc ipsum audiebat in Eumenidum luco mortuum esse, quam de illa, qua antea cum sola Antigona terras peragrabat, praesertim quum ne solitudo quidem dicenda sit, qua comitem habebat filiam? Quid quod ne ipsa quidem sententia ea est, quae facile in mentem venire Antigonae potuerit. Nam quum sciret fato constitutum esse, ut pater apud exteros singulari quodam mortis genere decederet, doleret autem, quod ita iusta solvere funeri paterno prohibita esset, optare quidam eam consentaneum erat, ut ei communi potius hominum sorte in patria et in gremio suorum obire fatum fuisset; in illam autem opinionem vix poterat adduci, ut eum putaret, si cupivisset, non in Attica sed in alia terra peregrina moriturum fuisse, et, si in alia terra mortuus esset, etiam alio mortis genere defuncturum, quo sepeliendi eius sibi esset opportunitas, quasi non fato utrumque definitum esset, sed genus mortis ex loco, locus ex optione atque arbitrio patris pependisset. Absit, ut huiuscemodi orationem a poeta et non potius a librariis profectam putemus. Apparet autem corruptelae suspicionem in eas ipsas cadere voces, per quas duo illa membra *μὴ γᾶς*

ἐπὶ ξένας θανεῖν et *ἔρημος ἔθανες ὧδέ μοι* inepte inter se copulari vidimus, id est in *ἔχρηζες, ἀλλ'*. Neque illud puto cuiquam posse dubium videri, quin membra illa non possint commode in unam sententiam coniungi, nisi in hanc: quare non in peregrina terra te mori oportebat, in qua sic desertus mihi mortuus es. Itaque hoc unum verum existimo:

τῷ μὴ γᾶς ἐπὶ
ξένας θανεῖν ἐχρῆν σ', ἐφ' ἇς γ'
ἔρημος ἔθανες ὧδέ μοι.

Librarios, opinor, in errorem adduxit simul recens memoria verborum *ἇς ἔχρῃζε γᾶς ἐπὶ ξένας ἔθανε* (v. 1705.), et mutilata forte litera *φ* eoque exortum vocabulum, quod nullum est, *EXPHNCEC*, fortasse etiam male exaratae vel situ attritae voces *ACΓ*.

Philoct. v. 424. seq.

Κεῖνός γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ θανὼν
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὅςπερ ἦν γόνος.

Haec quum Neoptolemus Philoctetae respondet de Nestoris valetudine percontanti, absurde eum loqui, si de Antilocho, quem Philoctetes et Lacedaemone inter procos et Aulide inter belli socios viderat, id, quod omnes libri habent, diceret *ὅςπερ ἦν γόνος*, iam a Brunckio est animadversum. Quas medelas corruptelae critici attulerunt, breviter recenset G. Wolffius de scholl. Laur. p. 150. In quibus qui unus optime, quid conveniat hoc loco a Neoptolemo dictum esse, perspexit, Hermannus in Retractationibus adnotatorum ad Sophoclis Philoctetam, quas creationi philosophiae doctorum a. 1841. scripsit, p. 6.: »Apertum est«, ait, »eiusmodi quid illis verbis significatum esse, quod caussam contineret, ob quam acerbior esset huius filii mors Nestori. Animadverteram hoc, sed, quum quam minimum ab antiqua scriptura recedere vellem, non posui eam vocem« (posuerat *μένος*), »quam a poeta profectam esse verisimile sit. Nunc scribendum puto *ὅςπερ ἦν μέλων*. Nam, ut seni, opus erat Nestori, qui eius curam gereret propugnaretque pro eo in proeliis. Id autem Antilocho potissimum conveniebat, qui et natu maior et fortior fratre

Thrasymede erat. Testatusque est pietatem suam ipsa morte, quum defendens patrem in pugna occubuit.«

Emendatio, quod ad sententiam attinet, bona, modo ne oratio nimis in breve contracta eoque obscura facta esset et ambigua. Debebat saltem addi genitivus *πατρὸς* vel *αὐτοῦ*, quo, quum minus usitata esset verbi *μέλειν* significatio activa (duo eius exempla affert Herm. ad Electr. v. 333.), monerentur auditores, ne patri curae fuisse Antilochum dici putarent, sed ut gessisse patris curam intelligerent. Verum ne curae quidem gerendae verbum satis apte delectum est, ubi distingui a Thrasymede Antilochum referebat. Omnium enim liberorum est parentum curam agere. Requiritur potius propugnandi verbum. Idque haud sane procul quaerendum est. Nam quod de Musgravii coniectura a quibusdam repositum est, *παρῆν*, eam ipsam, quam desideramus, vim habebit, si modo apposueris ei nomen, quo patris periculis ac laboribus adfuisse dicatur Antilochus, cuiusmodi nomen in inepto illo *γόνος* latere opinor, *πόνοις*. Scribendum igitur:

Κεῖνός γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ θανὼν
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὃς παρῆν πόνοις.

id est: ille quidem nunc vivit male, postquam morte ei Antilochus ereptus est, qui aderat laboribus.

Librarii veteres corrupta forte scriptura *ΓΟΝΟΙΣ* decepti, quum filium Nestoris dici Antilochum opinarentur, *ὅςπερ ἦν γόνος* scripserunt.

Philoct. v. 713 — 717.

Ὦ μελέα ψυχά,
ὃς μηδ᾽ οἰνοχύτου πώματος ἥσθη δεκέτει χρόνῳ,
λεύσσων δ᾽ ὅπου γνοίη στατὸν εἰς ὕδωρ
ἀεὶ προςενώμα.

Si genuinum esset, quod in omnibus libris legitur, aquae epitheton *στατόν*, non posset alio consilio a poeta positum esse, nisi hoc, ut tanto miserior videretur Philoctetae sors, si stagnanti aqua per decem annos usus videretur. At tantum abest, ut eo miserabilior spectatoribus facta esset chori oratio, ut a miserandis Philoctetae malis ad ipsius poetae

admirandam socordiam mens eorum avocata esset, qui iam in prologo disertis verbis v. 21. seq. essent edocti, esse fontem aquae perennis non procul ab ipso Philoctetae antro. Neque quidquam ad excusandam istam negligentiam valet, quod a chori conspectu fons ille videtur remotus fuisse, ut intelligi licet et ex Ulyssis verbis v. 21. seq., et ex ipso hoc loco, ubi optativus *γνοίη* chori de fontis situ dubitationem prodit. Neque enim erat, cur ideo stagnanti aqua Philoctetam usum putarent, nisi forte in scena talem repraesentatam credis regionem, qualis fluenti aqua carere videretur, velut paludosam aliquam, vel nudis saxis rigidisque cautibus horrentem. At talis scena si ante oculos fuisset spectatoribus, pene ridicula evasisset Philoctetae oratio v. 1453 — 1463., qua Nymphis pratorum irriguorum fontibusque valedicit. Sed etiamsi vel iustissimam erroris excusationem chorus haberet, non ideo etiam poetae excusanda videretur imprudentia, si chori ignorantia ad permovendos miseratione spectatores abuti voluisset. Nam qui scientibus auditoribus modum excedit in miserando, minuit, quam augere vult, miserationem.

Has difficultates qui intelligeret, Georgius Thudichum interpretando subvenire laboranti sententiae conatus est, vocem *στατὸν* non de stagnanti, sed de apposita in urceo aqua accipi iubens. Quo sensu etiamsi per se *στατὸν ὕδωρ* intelligi possit, quod mihi quidem valde dubium videtur, hoc certe loco ne ita intelligamus, verbis *ὅπου γνοίη* monemur.

Immo, nisi dormitasse hoc loco poetam credis, emendatione opus est. Ac mihi quidem vox *στατὸν* permutatis inter se literis *Π* et *CT* (vid. Schaefer. ad Greg. Cor. p. 931. et Herm. ad Soph. Electr. v. 1267.) ex *πάτον* videtur nata esse, ut poeta scripserit

πάτον εἰς ὕδωρ ἀεὶ προςενώμα,

hac sententia: iter ad aquam semper dirigebat, quod eadem ratione dictum est, qua supra v. 163. *στίβον ὀγμεύει.* Qua emendatione simul hoc consecuti sumus, ut verbum natura sua transitivum *προςνωμᾶν* habeat, quo commode referri possit. Nam quod Hermannus *ὕδωρ* repeti iubet, interpretans in ed. II.: »admovebat sibi aquam,« in eo hoc est incommodi, quod et subaudiendus est, quo aegre caremus, dativus *αὐτῷ*, et pervertitur propria verbi *νωμᾶν* significatio, qua non simpliciter est movere, sed ratione et numero movere.

Neque tamen ita iam persanatum esse locum existimo. Residet enim scrupulus in verbis *λεύσσων δ' ὅπου γνοίη*. Quae verba si eo sensu interpretamur, quo in hac inter se coniunctione et ultro se offerunt

primum audientibus, et usurpata exstant in Oed. Col. v. 135. ὃν ἐγὼ λεύσσων περὶ πᾶν οὔπω δύναμαι τέμενος γνῶναι ποῦ μοί ποτε ναίει, ut sensus sit: circumspiciens, ubi inveniret aquam, iter ad eam semper dirigebat: apparet inepte id de Philocteta dici, qui annis decem iam pridem debuerit expertus esse, ubi proxima esset aquatio. Itaque Musgravius, quam hic vim haberet λεύσσων se non intelligere fassus, an scribendum esset λάψων, dubitabat. Hermannus in ed. I. — nam in altera nihil de hac re definit — ita haec verba interpretabatur: »intuens in stagnantem aquam, ubi quid eius nosset,« id ut desiderii describendi causa dictum esset, quemadmodum soleremus intueri in illud, unde salutem et praesidium speraremus. Et similiter Wunderus: »Quod intuitus,« ait, »in aquam illam dicitur, ea re aqua illum, sicuti alios vino, delectatum et gavisum esse significatur.« Quae vereor ut satis accommodate dicta sint ad veritatem naturae. Natura enim ita fert, ut tum obtutum in aqua figamus, quum ardenti siti cruciati prohibeamur a potu ante oculos posito. Ut igitur, si Tantali poenas tibi describendas sumseris, recte apteque eum in undam refugam intueri dices, ita inepte Philoctetes diceretur in aquam intueri, ad quam potare volenti semper patebat aditus.

Quae quum ita sint, Musgravio assentior vitio affectam vocem λεύσσων iudicanti, nisi quod male reponi volebat λάψων, quae vox et longius a libris recedit, neque accommodata est condicioni Philoctetae, cui dicatur hydria lignea ad manum esse v. 35. et 292. Propius a vulgata abest meliusque sententiae convenit λευκόν, solemne illud aquae epitheton (Hom. Iliad. ψ, 282. Od. ε, 70. Hesiod. Op. v. 739. Aesch. Suppl. v. 23. Eurip. Helen. v. 1336. ed. Dind. Herc. fur. v. 573. Callim. Iov. v. 19.), quod quam apte a poeta et delectum sit ad aquam vino opponendam, vinum enim μέλαν dicitur Graecis, et in initio sententiae collocatum ad acuendam antithesin, nemo non sentiet. Librarios videtur fefellisse literae κ ductus rotundior et nonnihil distans ab eo lineola prior hoc modo *IC* (vid. Bast. Comm. Palaeogr. p. 720.), quae lineola si vacillante calamo paullum incurvata erat, ipsa nascebatur geminati σ forma *CC*. Totum igitur locum sic puto restituendum esse:

λευκὸν δ' ὅπου γνοίη πάτον εἰς ὕδωρ
ἀεὶ προσενώμα,

id est: liquidam autem, ubi nosset, iter ad aquam semper dirigebat.

Philoct. v. 757 — 761.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ.

Τί δῆτα δράσω;

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ.

μή με ταρβήσας προδῷς·
ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσως
ὡς ἐξεπλήσθη.

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ.

ἰὼ ἰὼ δύστηνε σύ·
δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς.
βούλει λάβωμαι δῆτα καὶ θίγω τί σου;

Sic libri veteres praeter *Γ.* et Harl., qui *πλάνης* pro *πλάνοις* et semel *ἰὼ* habent. Tricliniani: *ὡς ἐξεπλήσθη. φεῦ. ΝΕ. ἰὼ δύστηνε σύ.*

Locus vexatissimus. In quo quum multi aut interpretando aut emendando plurimum consumserint operae, miror nemini adhuc, quod sciam, in mentem venisse, ut id, quod res ipsa videretur postulare, de re medica medicos veteres consuleret.

Hippocrates de Morbis lib. IV. §. 140. (T. II. p. 351. ed. Kühn. sive sect. V. p. 65, 47. seqq. ed. Foes. Francof. 1595.) his verbis scribit de ulcerum inflammatione: *καὶ τὰ ἕλκεα, ἢν μὲν μελεδαίνηται, φλεγμαίνει μάλιστα ἐν ταύτῃσι τῇσιν ἡμέρῃσιν* (i. e. *τῇσι περισσῇσι*). *ἔρχεται γὰρ τὸ ὑγρὸν ἐς ἁπάσας τὰς φλέβας, ὁκόταν ταράσσηται, καὶ πληροῖ, ἐπὴν ἔλθῃ ἐς τὸ ἕλκος* [*ἡ νοῦσος*]. *καὶ ἢν μὲν μελεδαίνηται καὶ ἔχῃ ἔξοδον τὸ πῦος ἐξωθεόμενον ὑπὸ τοῦ ὑγροῦ τοῦ ἐλθόντος ἐν τῇ ταραχῇ, ἔξω ἀποκαθαίρεται τὸ ἕλκος. ἢν δὲ μὴ μελεδαίνηται, οὐκ ἔχον ἔξοδον τὸ πῦος, αὐτοῦ καταμένον σὺν τῷ κατελθόντι, πόνον παρέχει καὶ ἀείρει τὴν σάρκα τὴν περὶ τὸ ἕλκος. καὶ ἀπ᾿ ἐκείνου, κἢν* (lege *ἢν*) *μὲν ἐν τοῖς σκέλεσιν ἔχῃ τὸ ἕλκος, ἀείρονται αἱ φλέβες αἱ ἐν τῇσι προςφύσεσι τῶν σκελέων ἐοῦσαι· ἢν δὲ ἐν τῇσι χερσίν, αἱ τῶν χειρῶν τῇσι* (lege *ἐν τῇσι*) *προςφύσεσι ἐοῦσαι, καὶ ἐκ τούτου βουβῶνες γίνονται. ὁκόσοισι δὲ τῶν ἀνθρώπων πῦρ* (i. e. aestus) *ἐμπίπτῃ, ἄλλο μηδὲν τοῦ ἀνθρώπου κακὸν ἔχοντος, ἀπὸ πιοτέρης ἐούσης τοῦ καιροῦ* *) *ἐμπίπτει. καὶ πληρεύμεναι αἱ φλέβες πόνον καὶ*

*) *Excidit, ut videtur, τῆς ἰκμάδος. Interpres: ex pinguiore, quam par sit, humore. Cf. sect. V. p. 62, 7. ἢν δὲ πλησθῶσιν ἰκμάδος αἱ φλέβες, ἀπ᾿ ἐκείνης νοῦσος γίνεται.*

θέρμην τῷ ἕλκει παρέχουσι. τὸ δὲ θερμανθὲν καὶ τὸ ἄλλο σῶμα θερμαίνει· καὶ ἡ θερμασίη οὕτως ἐς τὰ ἕλκη γίνεται. θερμαίνεται γὰρ τὸ σῶμα καὶ τὰ ἕλκεα ὑπὸ τῆς κλονήσεως τοῦ ὑγροῦ, καὶ ἡ ταλαιπωρίη τοιοῦτον ἐργάζεται. ἀποφλεγμαίνει δὲ τὰ ἕλκεα πεμπταῖα καὶ κατὰ λόγον τουτέων τῶν ἡμερέων, ὡς ἂν καὶ τὰ ἕλκεα μέγεθος ἔχῃ, καὶ τριταῖα καὶ πεμπταῖα καὶ ἑβδομαῖα καὶ ἐνναταῖα καὶ ἑνδεκαταῖα. εἶτα ἀπηρτισμένης πρώτης περιόδου πάλιν δευτέρης ἀρχῆς τρίτη, ἥτις ἐστὶν ἀπὸ τῆς πρώτης τεσσαρεςκαιδεκάτη. τὰ δὲ μέγιστα αὐτῶν τεσσαρεςκαιδεκαταῖα ἀποφλεγμαίνει.

Docebant igitur medici Graeci ulcera certis temporum intervallis inflammata toti corpori aestum afferre, eiusque inflammationis hanc esse causam, quod venae circa ulcus humore implerentur. Vides eosdem fere ab Hippocrate casus describi, quos in Philoctetae morbo deprehendimus. Neque alia ex re Sophoclem causam eorum casuum repetere eo colligi potest, quod sedari dolores fingit, postquam longo sanguinis profluvio ulcus est expuratum, v. 821 — 825.

His expositis ad nostrum revertimur locum, ubi quum morbus dicatur tempore intermisso redire ὡς ἐξεπλήσθη —, nihil magis in promptu est, quam coniicere excidisse post ἐξεπλήσθη vocem φλέψ. Atque deest sane syllaba in optimis codd. Γ. et Harl.; ceteri ἰὼ geminant sine exemplo, quod sciam, in trimetro. Quin etiam ipsius huius vocabuli vestigium aliquod in libris apparet. Unde enim mirum illud φεῦ, quod in libris Triclinianis legitur? Hermannus Triclinii eam correctionem dicit in Retractt. p. 12. Crederem, si non potius insolens illud ἰὼ ἰὼ correctorem saperet, eumque satis imperitum. Nunc longe verisimilius puto corruptam ex ΦΛΕΨ vocem ΦΕΥ a criticis omissam explendique versus causa alterum ἰὼ inculcatum esse.

Hoc igitur sanato versu iam stabili quasi solo insistentes ad praecedentem versum nos convertimus. In quo si post vocem πλάνοις, sive mavis πλάνης, distinguis, ut sententia sit: redit hic morbi aestus intermisso semper tempore vagus (id est incerto velut febris cuiusdam inordinatae circuitu *)), fortasse ut expleta est vena: apertum est, utrumque

*) *Incredibile est dictu, ad quae commenta interpretes in explicanda voce πλάνοις aberraverint. Quae vox si ad morbum Philoctetae referri deberet, utique ex medicorum Graecorum dictione ita esset interpretanda, ut Hermanno praeeunte ego supra exposui. Etenim eae febres, quae incertum habent circuitum, quasque Latini medici*

sententiae membrum, quum nihil neque ad confirmandum Neoptolemi metum neque ad removendum afferat (vid. Herm. adnot. in ed. I.), prorsus otiosum esse atque inutile. Sin sic verba distinxeris, commate ante πλάνοις translato:

---

vagas appellant (ut Cels. III, 5.), sive incertas (id. II, 1.), sive inordinatas (id. III, 5.), Hippocrati dicuntur πυρετοὶ πλάνητες s. πλανῆται s. πλάνοι. De Morb. vulg. lib. I. sect. VII. p. 17. C. (ed. Foes. Francof. 1595.) ἤδη δὲ φθινοπώρου καὶ ὑπὸ χειμῶνα πυρετοὶ ξυνεχέες. καὶ τοῖσι αὐτέων ὀλίγοισι καυσώδεες ἡμερινοί, νυκτερινοί, ἡμιτριταῖοι ἀκριβέες (lege ἡμιτριταῖοι, τριταῖοι ἀκριβέες), τεταρταῖοι, πλάνητες. Ibid. p. 18. D. ἀμφημερινοὶ δὲ καὶ νυκτερινοὶ καὶ πλάνητες πολλοῖσι πολλοί. Ibid. p. 40. G. πλάνητες δὲ πυρετοὶ καὶ τεταρταῖοι καὶ πεμπταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι καὶ ἐνναταῖοι ἐν ᾗσι περιόδοισι κρίνονται, σκεπτέον. De Morb. mulier. lib. I. sect. V. p. 158, 5. πυρετοί τε ἐπιγίνονται πλανῆται ὀξέες ξὺν φρίκῃ καὶ ἀσιτίῃ ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. Ib. p. 159, 1. πυρετὸς ἐπιλήψεται πλάνος καὶ ἀσιτήσει ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. Περὶ παρθενίων, sect. V. p. 125, 27. ὁκόταν δὲ πληρωθέωσι (sc. αἵματος) ταῦτα τὰ μέρεα (i. e. ἡ καρδίη καὶ αἱ φρένες), καὶ φρίκη ξὺν πυρετῷ ἀναΐσσει. πλανήτας τοὺς πυρετοὺς καλέουσι. Eodem sensu etiam adverbium πεπλανημένως usurpat, ut Coac. Praenott. sect. II. p. 123. B. οἱ δὲ διαλείποντες (sc. πυρετοὶ) καὶ λαμβάνοντες πεπλανημένως φθινοπώρου μάλιστα ἐς τεταρταῖον ἐπιεικέως μεθίστανται. De Morb. vulg. lib. I. sect. VII. p. 19. B. ῥίγεα δὲ πᾶσι μὲν ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως ἐγίνετο. Ib. p. 58. D. Κλεονακτίδην - - - πῦρ ἔλαβε πεπλανημένως. - - - οἱ πυρετοὶ παροξυνόμενοι ἄλλοτε ἀλλοίως ἀτάκτως. ἱδρῶτες ὅτε μὲν, ὅτε δ᾽ οὔ. - - - περὶ δὲ τριακοστὴν ἐόντι, ἤρξατο ἀπὸ ῥινῶν αἱμοῤῥαγεῖν ἐξ ἀμφοτέρων καὶ ταῦτα πεπλανημένως. Ib. lib. II. p. 182. F. οἱ δὲ πυρετοὶ τὸ μὲν ὅλον οὐκ ἐπιλείποντες, πεπλανημένως δὲ παροξυνόμενοι, τὰ μέν, τὰ δ᾽ οὔ. Galenus id febrium genus ἄτακτον nominat de Febr. differentt. lib. II. c. 18., quo eodem nomine etiam Hippocrates utitur in Coac. Praenott. sect. II. p. 104. A. τριταιοφυέα ῥίγεα, ἣν ἐν μέσῳ παροξυνόμενα πυρετῷ ἀτάκτῳ, πάνυ κακοήθεα. Specie differt πυρετὸς πλανώδης, id est ad incertae febris naturam accedens tertiana. Coac. Praenott. sect. II. p. 105. G. οἱ τριταιοφυέες πλανώδεες, ἐς ἀρτίας μεταπεσόντες, δύσκολοι.

ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου, πλάνοις ἴσως
ὡς ἐξεπλήσθη φλέψ. ΝΕ. ἰὼ δύστηνε σύ.

vocemque *πλάνοις*, sicut opus est in hac verborum coniunctione, quoniam in venam non cadunt errores, de ipsius Philoctetae erroribus acceperis, quibus venandi, aquandi, lignandi causa eum circum antrum vagari solere supra audivimus v. 287. seqq.: omnia iam plana erunt ac perspicua, neque quidquam aut in verbis insolens aut ad rem otiosum videbitur. Hoc enim dicit Philoctetes: Ne me exterritus deserito; redit enim hic aestus longis semper intervallis, a vagando fortasse ut expleta est vena. Quod patet ad levandum Neoptolemi timorem dictum esse. Nam si post longum temporis spatium dolores redire solebant, non erat metuendum, ne inter brevem illum *ἡμέρας μόχθον οὐχ ὅλης μιᾶς* (v. 480.) redirent, et si multa gestatione pes concussus illos dolores creabat, spes erat, si quies pedi aegroto ministrorum opera concessa esset, fore ut non unquam redirent. Atque animadverte, quam accommodate ad hoc Philoctetae dictum respondeat Neoptolemus. Qui quum antea universe Philoctetam interrogasset: *τί δῆτα δράσω;* nunc, ubi ex nimia pedis quassatione repeti causam dolorum audiit, paucis commiseratus, sicut decebat, calamitatem eius, iam definitius rogat, operam ei suam ad sublevandum corpus offerens: *βούλει λάβωμαι δῆτα καὶ θίγω τί σου;*

Unum superest, ut Wunderi de hoc loco dubitationibus satis faciam, qui in ed. II. negans verbum *ἥκει* aliud significare posse, nisi venit i. e. adest, huiusmodi quid suspicatur a poeta scriptum fuisse, ut sensus fere hic esset: adest enim post longum tempus et mox rursus discedet. At neque tale Philoctetae dictum cum Neoptolemi conveniret responso commiserationis, non consolationis, ut expectandum esset, plenissimo, neque istud de verbi *ἥκειν* vi praeceptum ita ab usu dicendi confirmatur, ut non passim etiam de consuetudine veniendi id verbum usurpatum occurrat. Sic Platoni aperte significat adesse solet in Symp. p. 188. A. *ἐπειδὰν μὲν πρὸς ἄλληλα τοῦ κοσμίου τύχῃ ἔρωτος ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον - - -, ἥκει φέροντα εὐετηρίαν καὶ ὑγίειαν.* Et Xenophonti in Oecon. XXI, 3. *ὅταν πελαγίζωσι - - -, οἱ μὲν ἱδροῦντες - - - ἐκβαίνουσιν, οἱ δὲ ἀνιδρωτὶ ἥκουσι.*

Philoct. v. 1128 — 1135.

Ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων
χειρῶν ἐκβεβιασμένον,
ἦ που ἐλεινὸν ὁρᾷς, φρένας εἴ τινας
ἔχεις, τὸν Ἡράκλειον
ἄθλιον ὡδέ σοι
οὐκέτι χρησόμενον τὸ μεθύστερον
ἔτ', ἀλλ' ἐν μεταλλαγᾷ
πολυμηχάνου ἀνδρὸς ἐρέσσει.

Verba *τὸν Ἡράκλειον ἄθλιον* vitii aliquid contraxisse ab interpretibus tantum non omnibus intellectum est. Quod Erfurdtius in ed. mai. et Hermannus in ed. II. ex coniectura reposuerunt *τὸν Ἡράκλειον ἄρθμιον*, ita demum probari poterit, si exemplis demonstratum erit, adiectivum *ἄρθμιον* etiam substantivi fungi posse officio, ut liceat epitheton ei apponere *Ἡράκλειον*. Mihi proxime a vero abfuisse Musgravius videtur haec adnotans: »Fuit, quum legendum putarem *τὸν Ἡρακλεῖ συνάεθλον* vel *ὁμάεθλον*. Priorem vocem habet Oppianus Cyneg. I, 195. Sed ea lectio hoc incommodi habet, quod Philoctetam Herculis comitem et in laboribus adiutorem faciat, quod nescio an veterum quisquam tradiderit. Nihil enim aliud memorant mythologi, nisi Herculis rogum funebrem, reliquis detrectantibus, ab ipso accensum fuisse. Hygin. fab. XXXVI. Apollod. lib. II, 7. Diodor. Sic. IV, 38.« Offecerat ei Tricliniana scriptura *ἄεθλον*, quominus id poneret, quod et numeris antistrophae congrueret et ad antiquorum librorum scripturam proxime accederet,

τὸν Ἡρακλεῖ ὁμάθλιον.

Herculis laborum socium se appellat Philoctetes, ut Ulixis ignaviae suam opponat fortitudinem. De cuius societatis apud veteres memoria quod dubitat Musgravius, id hodie neminem movebit, postquam Erfurdtius ex Philostrati Icon. 17. p. 889. haec attulit: *θεράπων δὴ γενέσθαι τῷ Ἡρακλεῖ ὁ Φιλοκτήτης ἐκ νηπίου, ὅτε καὶ φορεὺς εἶναί οἱ τῶν τόξων, ἃ δὴ καὶ ὕστερον μισθῷ λαβεῖν παρ' αὐτοῦ τῆς εἰς τὴν πυρὰν ὑπουργίας.* Atque Alcidae comitem Philoctetam vocat Seneca Herc. Oetae. v. 1717., comitem Herculis Dictys Cret. I. et Servius ad Virg. Aen. III, 402. Quin inter eos, qui amicitia iunctissimi fuerunt, etiam Herculem et Philoctetam numerat Hyginus fab. CCLVII. — Adiectivum *ὁμάθλιος*, quod praetermittunt lexi-

cographi, eadem ratione e nomine ἆθλος derivatum est, qua e πατὴρ ὁμοπάτριος, e βωμὸς ὁμοβώμιος, e δόρπον ὁμοδόρπιος et alia huiuscemodi quam plurima. — In hiatu Ἡρακλεῖ ὁμάθλιον post diphthongum tam plenam nulla est offensio. Cf. Oed. R. v. 1201. καλεῖ ἐμός. Oed. Col. v. 1453. ὁρᾷ, ὁρᾷ. Vid. Herm. Ell. doctr. metr. p. 49. Alioquin scribendum foret τὸν Ἡρακλεῖ γ' ὁμάθλιον. Ceterum admissa hac coniectura ex duobus versibus, ne male distrahatur ὁμάθλιος, unum faciendum esse apparet:

ἔχεις, τὸν Ἡρακλεῖ ὁμάθλιον ὧδέ σοι,

cui ut exaequetur antistrophicus v. 1154., ὑμῖν in ὔμιν mutandum:

ἔτ' οὐ φοβητὸς ὔμιν, ἕρπετε, νῦν καλόν.

Philoct. v. 1136 — 1139.

Ὁρῶν μὲν αἰσχρὰς ἀπάτας
στυγνόν τε φῶτ' ἐχθοδοπόν,
μυρί' ἀπ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ', ὅσ' ἐφ' ἡ-
μῖν κάκ' ἐμήσατ' Ὀδυσσεύς.

In extremo versu 1139. quum nomen Ὀδυσσεὺς neque sententiae accommodatum sit neque numeris versus antistrophici conveniat, alia alii proposuerunt corruptelae remedia, quorum nihil est, quod aliquam habeat veri similitudinem. Mihi non dubium videtur, quin antiquitus scriptum fuerit aut οὐδεὶς aut οὔτις. Si illud, ex librarii lapsu vulgata originem traxit, si hoc, ex interpretamento ab insulso aliquo glossatore voci οὔτις, quam ridicule de Homerico illo Utide acciperet, adscripto. Hoc posterius quum absurdius sit, quam ut credi possit, illud prius a poeta profectum puto:

μυρί' ἀπ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ', ὅσ' ἐφ' ἡ-
μῖν κάκ' ἐμήσατ' οὐδείς,

id est: innumerabilia ex flagitiis progignentem mala, quot nemo unquam in me machinatus est. Non enim ad αἰσχρῶν referendum est relativum ὅσα, ut volunt plerique, sed ad μυρία. Αἰσχρὰ sunt malae fraudes, quibus usus Ulixes Philoctetam et exposuit ante, et nunc arcu privavit, unde innumerabilia ei, quot sunt in solitudine atque inopia, mala nascebantur. Compara simile Philoctetae dictum supra v. 408. seq. πανουργίας, ἀφ' ἧς μηδὲν δίκαιον ἐς τέλος μέλλει ποιεῖν. — Ad

pronomen οὐδεὶς subauditur ἄλλος, de quo loquendi genere cf. Aiac. v. 424. ἄνδρα οἷον οὔτινα Τρωΐα στρατοῦ δέρχθη χθονὸς μολόντ' ἀπὸ Ἑλλανίδος, i. e. οὔτινα ἄλλον. Aesch. Eumen. v. 672. πόλεως σωτήριον ἔχοιτ' ἄν, οἷον οὔτις ἀνθρώπων ἔχει, sc. ἄλλος. Nec multum differt Soph. Electr. v. 689. οὐκ οἶδα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἔργα καὶ κράτη, i. e. οὐκ ἄλλου πλὴν Ὀρέστου.

Philoct. v. 1140 — 1142.

Ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν,
εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν.

Si sana est librorum scriptura, vix aliter haec verba intelligi possunt, quam ita, ut Hermannus interpretatur: »viri est, quod utile est, iustum dicere, in eum qui dicit autem non cum invidia et maledictis promere dolorem suum.« Verum hoc ipsum magnopere mihi dubitandum videtur, an non sana sit scriptura. De constructione verborum ut taceam, quamquam sane quam durissimum est ad aliam personam referre nomen ἀνδρός, ad aliam participium εἰπόντος: in ipsa sententia me haerere confiteor. Nam neque Philoctetes ideo Ulixi maledixerat, quod utilia iusta dixisset, sed ideo quod fecisset iniuste, neque dixerat tale quidquam Ulixes. Senserat id Hermannus, quum in adnotatione sua verbum εἰπόντος hac periphrasi interpretabatur: »qui sic sentit, ut utilia iusta putet.« At aliud est sentire, aliud dixisse. Quid porro chorum spectasse putas, quare omnia ista Philoctetam doceret? utrum ut mitigaret iracundiam hominis de fallacia Ulixis modo quam gravissime conquesti, an ut irritaret? Irritasset sane, si ab eo postulavisset, ut fallaciam istam, quoniam utilis esset, iustam diceret. Nonne summa cum indignatione Philoctetes tam impudentem postulationem tulisset? nonne iratus idem choro, quod infra v. 1382. Neoptolemo, et maiore quidem cum iure responsum dedisset: *καὶ ταῦτα λέξας οὐ καταισχύνει θεούς?* Adeone chorus oblitus erat illius prudentiae suae, qua statim ab initio v. 135. seq. ex Neoptolemo quaesierat, quid occultare oporteret, quid aperire homini suspicaci? Quid denique hoc vel tempore Neoptolemi milites vel fabulae loco poetae chorum decere putabimus? Neoptolemus quidem iam v. 902. seqq. poenitere se, quod a paterna virtute ad malam

fraudem degenerasset, confessus erat. Tu milites eius, qui semper sibi curaē esse, ut in omni re observarent nutum imperatoris, praedicaverant v. 150. seq., nunc laudaturos fuisse, quod ille respuisset, credibile putas? Poetam autem, qui quum in tota fabula nostra, tum praesertim in posteriore hac parte videatur operam dedisse, ut generosa Neoptolemi indoles prae Ulixis calliditate illustraretur, nunc credis per interpretem consiliorum suorum chorum fraudem, quoniam utilis esset, iustam dicturum fuisse?

Quod chorum hoc loco decebat, hoc erat, non ut iustam, sed ut excusandam diceret fraudem, quippe quae optimo consilio in communem et exercitus et ipsius Philoctetae salutem ab Ulixe esset commissa. Quamobrem Wundero adstipulor in ed. II. haec adnotanti: »Certissimum mihi videtur verba *εὖ δίκαιον* aliquid vitii contraxisse, quamvis, quid scripserit Sophocles, nondum mihi liqueat. Sed illud non dubito, quin istiusmodi quid positum fuerit, ut sensus hic esset: viri boni est libere dicere, quidquid iniustum putet esse, sed ubi dixerit, dictis acerbis invidiaeque plenis abstinere. Concedit chorus Philoctetae esse, quod de fraude sibi illata conqueratur, sed admonet simul, ne acerbis malignisque verbis in Ulixem invehatur, quippe qui, id quod sequentibus explicat, non malevolentia quadam ductus aut sui commodi causa, sed amicorum saluti ut prospiceret, id, quod molestum Philoctetae sit, suscipiendum faciendumque putarit.«

Atque istiusmodi sententiam habebis, si, leniter mutatis iisdem illis, quae Wundero suspecta sunt, verbis *εὖ δίκαιον*, sic scripseris:

ἀνδρός τοι τὰ μὲν ἔνδικ᾽ αἰὲν εἰπεῖν etc.

id est: viri est vera quidem semper dicere, sed ubi dixerit, non acerbum effundere linguae virus. Cuius sententiae eadem fere est summa atque illius, quae Wundero placuit. Nam quum vera dicit homo iniuria affectus, id, quod iniustum putat esse, dicit. — De locutione *ἔνδικ᾽ εἰπεῖν* cf. Oed. R. v. 553. *ταῦτ᾽ ἔνδικ᾽ εἰρῆσθαι.* Ibid. v. 1158. *μὴ λέγων γε τοὔνδικον.* Eurip. Troad. v. 970 *μὴ λέγουσαν ἔνδικα.* — Simili sententia chorus in simili rerum condicione moderationem dicendi suadet Aiac. v. 1118. seq. *οὐδ᾽ αὖ τοιαύτην γλῶσσαν ἐν κακοῖς φιλῶ· τὰ σκληρὰ γάρ τοι, κἂν ὑπέρδικ᾽ ᾖ, δάκνει.*

Numeri si cui minus suaves videantur ter deinceps in fine trochaeorum incisi *ἔνδικ᾽* | *αἰὲν* | *εἰπεῖν* |, is Sophocli certe non insuaves visos esse discet, si similes comparaverit versuum exitus hosce: Oed. R. v. 464. *Τίς ὅντιν᾽ ἁ θεσπιέπεια Δελφὶς εἶπε πέτρα.* Ib. v. 189. *εὐῶπα πέμψον ἀλκάν.* Electr. v. 1085. *αἰῶνα κοινὸν εἵλου.* Ib. v. 1408. *δύστανος, ὥςτε φρῖξαι.* Trach. v. 642. *ἐπάνεισιν, ἀλλὰ θείας.* Ib. v. 656. *ὄχημα ναὸς αὐτοῦ.* Ib. v. 970. *καθ᾽ ὕπνον ὄντα κρῖναι.* Oed. Col. v. 1084. *ἐωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.* Ib. v. 1736. *αἰῶνα τλάμον᾽ ἕξω.* Oed. R. v. 1108. *εὕρημα δέξατ᾽ ἔκ του,* quo quidem loco augmenti omissio de industria quaesitum esse hoc incisionum genus ostendit. Nimirum numerosissime cadit trochaicus versuum exitus, ubi gradatim quasi per singula vocabula descendit.

Philoct. v. 1163 — 1168.

Πρὸς θεῶν, εἴ τι σέβει ξένον, πέλασσον
εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν.
ἀλλὰ γνῶθ', εὖ γνῶθ', ὅτι σοὶ
κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν.
οἰκτρὰ γὰρ βόσκειν, ἀδαὴς δ'
ἔχειν μυρίον ἄχθος, ᾧ ξυνοικεῖ.

Huic loco quae offusae sunt tenebrae, omnes omnino discussae videbuntur, si lenissima mutatione *ΓΕΛΑΣΣΟΝ* pro *ΠΕΛΑΣΣΟΝ* et *ὅ τι* pro *ὅτι* scripseris, verbis sic distinctis:

Πρὸς θεῶν, εἴ τι σέβει ξένον γ' ἔλασσον,
εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν,
ἀλλὰ γνῶθ', εὖ γνῶθ', ὅ τι σοὶ
κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν. etc.

id est: per deos, si forte minus revereris hospitem, quamquam omni cum benevolentia ad te accedentem, at intelligito, bene intelligito, tua quanti referat luem hanc effugere. — Opposita sunt *ξένον* et *σοί*. Summa enim sententiae haec est: si non hospitis gratia Troiam abire vis, at tua ipsius causa abire debes. Unde patet, cur *γὲ* particula vocabulo *ξένον* apposita sit. Quam particulam si quis in tali sententiarum compositione a protasi alienam putet, propterea quod propria eius sedes est in apodosi, eum haec comparare iubeo: Homer. Iliad. *α*, 81. *εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ, ἀλλά τε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ.* *θ*, 153. *εἴπερ γάρ σ' Ἕκτωρ γε κακὸν καὶ ἀνάλκιδα φήσει, ἀλλ' οὐ πείσονται Τρῶες καὶ Δαρδανίωνες.* Herod. IV, 120. *εἰ δὲ μὴ ἑκοντές γε ὑπέδυσαν τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Πέρσας, ἀλλ' ἄκοντας ἐκπολεμῶσαι.* Id. V, 39. *εἴ τοι σύ γε σεωυτοῦ μὴ προορᾷς, ἀλλ' ἡμῖν τοῦτό ἐστι οὐ περιοπτέον.* — Pronomen *τι* non ad *ἔλασσον* referendum, sed ad contemnendi notionem, quae subiecta est verbis *σέβει ἔλασσον.* Ita enim non ordo solum verborum suadet, sed ipsa etiam postulat sententia. Aliud est enim *εἰ ἔλασσόν τι* s. *ἧττόν τι σέβει*, si aliqua ex parte minus revereris (cf. Xen. Anab. V, 8, 11. Conviv. 4, 21. Hellen. II, 3, 16. Cyrop. I, 6, 11. Thucyd. III, 75.), aliud *εἴ τι σέβει ἔλασσον*, si forte minus revereris. — Denique verba *ὅ τι σοί* idem valent indirecte interroganti, quod directe *τί ἐμοί;* quanti mea refert? de qua interrogandi formula vid. Lambert. Bos. de Ellips. p. 598. seq. Ceterum iam olim fuisse, qui *γνῶθ' ὅ τι σοί* legerent, ex scholiastae interpretatione *τὰ ὄντα σοι μάνθανε* apparere Dindorfius observavit.

Corrigendum.

Pag. 8. lin. 18. scribe *ὑπὸ ζυγόν* pro *ὑπὸ λόφον.*

Brandenburgi Novi typis exscripsit Carolus Hoepfner.